



Summæ Theologicæ Scholasticæ Et Moralis In Qvatuor Partes Distributæ Pars ...

In qua de Virtutibus in Communi, & Theologicis, Fide, Spe & Charitate, nec
non Virtutibus Cardinalibus, præsertim Justitia & Jure, ac Religione
ceterisq[ue] annexis, & Vitiis Oppositis in particulari breviter & dilucidè
tractatur

Herincx, Wilhelm

Antverpiæ, 1663

Dispvatio IX. De Infidelitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72941](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72941)

DISPUTATIO NONA.

De Infidelitate.

QUÆSTIO I.

Quotuplex, Et quam Grave peccatum sit Infidelitas.

I. Infidelitas alia positiva, alia negativa.



INFIDELITAS hęc sumitur, prout est opposita fidei Theologicę. Estque alia positiva, quę aliquid tenetur contrarium fidei: alia negativa, quę est absentia seu carentia fidei. Positiva alia est culpabilis, alia inculpabilis. Similiter subdividi potest Infidelitas negativa. Nam potest aliquis invincibiliter ignorare articulum fidei, ideoque carere assensu illius: potest etiam invincibiliter erronee judicare aliquid esse à Deo revelatum, quod tamen à parte rei sit falsum vel hæreticum. Similiter potest aliquis vincibiliter seu culpabiliter ignorare articulum fidei, & consequenter carere fide ejusdem: potest quoque vincibiliter erronee judicare aliquid esse à Deo revelatum, quod tamen sit falsum. Ignorantia porro invincibilis mysteriorum fidei, sive carentia involuntaria fidei vocatur à multis infidelitas purę negativa, vincibilis autem & voluntaria vocatur privativa, eod quod sit carentia notitię debite inesse subjecto ex necessitate medii vel præcepti: quod tamen spectat ad quæstionem de voce. Rursum infidelitas negativa alia consistit in negatione solius actus, alia in negatione actus & habitus: & hæc sola vocatur infidelitas absolute, & ab hac sola quis denominatur infidelis.

Vtraque subdividitur in culpabilem & inculpabilem.

2. Infidelitas positiva dividitur in hæreticam, Judæismum & Paganismum.

Infidelitas positiva juxta Doctores communiter, potest adquatè dividi in Hæreticam, Judæismum & Paganismum. Pater ex descriptione singulorum membrorum: nam Paganus sunt, qui sentiunt contraria fidei Christianę, quam nullo modo profitentur, sive eam aliquando fuerint professi sive non. Judæi sunt, qui sentiunt contraria fidei Christianę, quam tamen implicite profitentur, id est, in figura, nempe in Circumcisione, & Sacramentis veteris legis, quę fuerunt umbra futurorum. Hæretici sunt, qui sentiunt contraria fidei Christianę, quam profitentur explicitè. Quapropter Paganismus est integra negatio fidei, Judæismus negatio Christi, Hæresis negatio alicujus veritatis à Christo revelatę, ipso Christo ejusque adventu admisso. Præter quę nullum aliud infidelitatis genus excogitari potest. Unde Eccle-

fia in die Parasceves pro prædictis tantum infidelium generibus singularim orare consuevit.

Nec obstat I. quod Turcismus non videatur pertinere ad aliquod ex his membris, utpote admittens nonnullas fidei Christianę veritates, v. g. quod Deus sit creator cęli & terrę, quod sit futurum judicium, quod Christi Mater sit virgo &c. Nam Turcismus pertinet verè ad Paganismum: quia etsi multas veritates fidei admittat, non tamen ut à Christo dictas, aut quatenus ad nostram aut Judæorum fidem pertinent, sed quatenus à Mahumete sunt dictę. Unde etsi Turcismus ex parte materię sit mixtus, quoad modum tamen declinandi à fide Christiana convenit cum Paganismo.

3. Ad quam speciem pertineat Turcismus.

Non obstat II. quod dubitatio in fide non videatur contineri aliquo istorum membrorum: nam non pertinet quidem ad unam speciem; sed qui simpliciter dubitat, an tota fides nostra sit certa, sit Paganus; qui dubitat, an Judæismus sit verior, sit Judæus; qui autem dubitat de paucis articulis, credens reliquis, sit hæreticus.

4. Ad quam dubitatio in fide.

Non obstat III. quod ad nullum membrum pertinere videatur infidelitas Judæorum, qui oim ab aliquo articulo defecerunt, quales erant Saducęi. Item infidelitas Philosophorum, qui ex lumine naturę unum Deum agnoscentes in cultu idolorum alijs non miscebantur: nam infidelitas illa Judæorum, non pertinet quidem directè ad hanc divisionem, eod quod non pertineat ad præsentem fidei statum: divisio autem hæc assignetur per ordinem ad infidelitates, quę pro præsentis statu occurrere possunt. Reducitur tamen ad hæresim, quia illi deficiebant à fide, quã quo ad alios articulos profitebantur. Infidelitas verò illorum Philosophorum spectat ad Paganismum: illi enim totaliter carebant fide, eamque nullo modo profitebantur. Alioquin constat inter ipsos Paganos fuisse aliquam errorum inæqualitatem, nonnullis plures errores habentibus, quàm alii. Quod similiter in Hæreticis cernitur.

5. An scilicet Saducęorum vel infidelitas Philosophorum Genitilium.

Denique non obstat, quod sub nulla ex speciebus contineatur Apostasia: nam Apostasia, prout in præsentis sumitur, est recessus à vera fide; qui cum tribus modis fieri possit, non pertinet Apostasia ad unam aliquam speciem: sed si quis recedat à tota Religione seu fide, erit Paganus: si illam retineat in figura, Judæus; si eam explicitè profiteatur, & quodam ejus puncta neget, Hæreticus. Vel potius proprie

6. Ad quod membrum pertineat Apostasia à fide.

prie loquendo, Apostasia est tantum acci- dens & circumstantia infidelitatis: solum enim denotat eum, qui vera fidei resistit, illam prius habuisse; quod plane acciden- tarium est ad negationem fidei secundum se consideratam: non enim ideo plus mi- nulve negat.

Notandum vero solos deficientes a vera fide ad Judaeismum vel Paganismum vocari communiter Apostatas, & contra deficientes ad haeresim distinguuntur qui solent vocari Haeretici. Quamvis juxta receptum loquen- di modum, tum antiquorum, tum moder- norum, ad haeresim non requiratur, ut quis veram fidem antea tenuerit: quidquid nonnulli Thomista dicant. Nam Haereticarum & Haeticorum filii appellantur & reputantur haeretici, etsi numquam ve- ram fidem habuerint, immo etsi non forent legitime baptizati, sive defectu formae, ut Paulianista, sive quia juxta doctrinam se- ctae suae non baptizantur nisi in adulta ae- tate, ut Anabaptista.

Ad haeresim non requiritur, ut fides aut baptisimus praexistat.

8. Praedicta divisio non est generis in species propriam dicitur: cum omnes privet eadem virtute fidei, habeantque deformitatem ejusdem rationis, consistentem in contemptu divinae auctoritatis seu renitentiae contra illam, cum sola differ- entia materiali in negandis pluribus vel paucioribus veritatibus revelatis. Hoc inter- im verum est, quibusdam saltem haere- sibus ratione materiae quam negant ad- junctant esse peculiarem quamdam blasphemiam contra naturam aut personam divi- nam v. g. divinitatem Filii aut Spiritus sancti, cujus ratione Doctores passim no- tant posse contingere, ut sit opus haeresim in particulari exprimere in confessione. De quo Tract. de Relig. ubi de Blasphemia.

Adhuc explicandum hic restat, quodnam infidelitatis genus sit peccatum. Sequenti vero quaestione declarabitur, cujusmodi de- beat esse perfecta infidelitas, destruens ha- bitum fidei, adeoque quam respiciunt poena Ecclesiasticae, haeticis puta in- flictae.

9. Infidelitas pure negativa non est peccatum sed poena peccati.

Infidelitas pure negativa, quae nimirum in eis est, quibus fides non est annuntiata, etsi sit poena peccati, non tamen proprie peccatum, ut tenent communiter Theo- logi contra Adrianum. Oppositumque est damnatum in Baio a tribus Pontificibus. Patet ex Joan. 15: Si non venissem & locu- tus fuisset eis, peccatum non haberent, scilicet infidelitatis, ut exponit Augustinus Tract. 99. in Joannem. Ratio desumitur ex defectu voluntarii, ad peccatum requisiti. Unde Augustinus l. 3. de Libero arbit. c. 19. ait: Non tibi reputatur ad culpam, quod invitatus ignoras &c. Et Epist. 105. post med. do- cet ignorantiam in ijs, qui intelligere nolue- runt sine dubio peccatum esse; in ijs autem qui non poluerunt, poenam esse peccati.

Unde patet idem esse dicendum de in- fidelitate positiva, quae procedit ex erro- re invincibili, estque haeresis seu infideli- tas materialis. Non excusantur tamen a peccato, qui voluntarie negligunt verita- tem necdum sufficienter propositam ulter- rius inquirere, & curare se instrui: illis enim ignorantia est vincibilis. Unde nec comprehenduntur inter illos, qui intelli- gere non potuerunt. Et juxta Augustinum l. 3. de Libero arbit. cap. 19. deputatur ad culpam, si negligis querere, quod ignoras. Est- que haec infidelitas privativa.

Privativa est peccatum.

Infidelitas denique positiva voluntaria est indubie gravissimum peccatum. Quod reprehenditur Joan. 15. Immo quod anto- nomasticè nomine peccati accipitur Joan. 8. In peccato vestro moriemini. Et c. 16. Ille arguet mundum de peccato, scilicet infideli- tatis, ut mox exponitur dicendo: de pec- cato quidem, quia non crediderunt in me. Et Matth. 10. dicitur: Quicumque non receperit vos &c. Amen dico vobis, tolerabilis erit terra Sodomorum & Gomorrhæorum (qui ta- men erant homines moribus corruptissimi) in die judicii, quam illi civitati. Et alibi se- pe exaggeratur peccatum incredulitatis. Quod quidem gravius est, quando est di- rectè volitum, per voluntatem repugnando auditui fidei, vel etiam audita fidem- que contemnendo.

10. Positiva est gravissimum peccatum.

Unde ex suo genere & per se loquen- do infidelitas est gravius peccatum omni- bus ijs quae contrariantur virtutibus mora- libus, v. g. homicidio, adulterio, furto &c; etsi per accidens, puta ratione imperfectio- ris voluntarii, posset interdum infideli- tas esse minus peccatum homicidio. Ratio est: quia infidelitas directè hominem a- vertit à Deo, quam ea quae in morum per- versitate consistunt, cum per illam directè contemnatur divina auctoritas, aliter quam per peccata mortalia contra virtutes mora- les. Deinde ipsum principium & viam ac- cedendi ad Deum infidelis directè respuit, & omne medium consequendi etiam alio- rum peccatorum remissionem tollit. Con- stat nihilominus odium Dei esse ablu- omniun peccatorum gravissimum. Simili- ter infidelitatem excedit desperatio, non solum quia periculosior, sed quia desperans majorem Deo infert injuriam, ipsum ut summum bonum nostrum contemnendo, dum ab ejus prosecutione avertit affectum, ejusdem quoque misericordiam contem- nendo, quae paratus est gratiam & veniam largiri. Confirmatur: quia virtus Spei est perfectior fide; ergo & peccatum despera- tionis ex genere suo est majus infidelitate. Aliquam nihilominus infidelitatem esse graviorem aliquam desperatione advertit Arriaga disp. 19. nu. 22. & 23. Immo Non- nulli simpliciter infidelitatem esse gravi- orem contendunt: pro quibus fusa disputat Lugo disp. 18. sect. 2.

11. Et quidem ex genere gravius peccatum contrariis virtutibus moralibus.

Non tantum odio Dei.

An sit gravius desperatio.

Hinc

Qu. II. Quid requiratur ad formalem, & perfectam Infidelitatem. 169

12. In quo sub-
jecto sit in-
fidelitas.

Hinc colligitur infidelitatem etsi sit in intellectu velut in proximo subjecto, quemadmodum & ipsa fides, ut tamen denominetur peccatum, debere aliquo modo procedere à voluntate, in qua seu in cuius actu proximè residet formalis ratio malitiæ, adeoque & formalis culpa infidelitatis, à qua infidelitas intellectualis participat malitiam, sicut homicidium exter- num à voluntate occidendi.

13. Que infi-
delitatis
species sit
gravior
peccatum.

Petes, quanam species infidelitatis sit gravior? Resp. ex parte materiæ Paganismum esse maximum peccatum, deinde Iudaismum, minimum hæresim. At contra ex circumstantiis & modo ordinariè hæresis est maximum peccatum, deinde Iudaismus, minimum Paganismus. Prior pars patet: quia Paganismus negat omnia revelata, Iudaismus ea solum, quæ sunt novi testamenti, Hæresis verò aliqua horum. Secunda pars patet: quia ordinariè fidei Christianæ notæ sunt Hæreticis notiores, qui proinde majorem Deo inferunt injuriam, ei non credendo vel discredendo: Judæi verò, saltem in velamine, veram fidem agnoscunt, quàm Paganis sæpè neutro modo noverunt: quantò autem magis quis novit motiva veræ fidei, vel majores habet occasiones ea discendi, eo culpabilior est ejus infidelitas. Si tamen quis à vera fide deficeret ad Iudaismum vel Paganismum, gravius peccaret, quàm si deficeret cum eadem fidei notitia ad hæresim; ideo signanter dixi, quòd ordinariè hæresis sit majus peccatum.

QUÆSTIO II.

Quid Requiritur ad formalem, & perfectam Infidelitatem, signan-
ter Hæresim?

14. Etymon voc-
cu Hæresis.

15. Quid Hæ-
resis for-
malis.

QUÆSTIO hæc specialiter solet moveri de Hæresi, veluti magis obviâ: quamvis suo modo etiam locum habeat in alijs speciebus Infidelitatis. Hæresis porro græca vox juxta grammaticam significationem generaliter significat omnes electionem, usu tamen Scriptorum Ecclesiasticorum appropriatur electioni credendorum aut rejiciendorum ob divinam auctoritatem; & quidem ferè semper in maiorem partem, quatenus opponitur fidei Catholice, in qua nihil ex arbitrio nostro eligere, sed acceptam per Apostolos à Christo doctrinam simpliciter tenere debemus. Hoc itaque sensu Hæresis perfecta seu formalis communiter definitur error voluntarius & pertinax contra doctrinam & veritatem unam vel plures fidei Christianæ. Quæ tamen definitio convenit quoque Iudaismo & Paganismo formali, nisi subaudiatur estorem esse hominis de reliquo Christum & doctrinam ejus sive se-

Christianum profitentis seu non negantis.

Itaque ut sit formalis Hæresis, expul- siva fidei, de qua Reges loquuntur, vo- luntario accedere debet pertinacia. Quam quidem requiri tradit Augustinus lib. 4. de Bapt. contra Donatistas c. 16. dicens: Con- stituamus aliquem sentire quod Photinus opi- natus est, istum nondum hæreticum dico, nisi manifestat à sibi doctrinam Catholicam fides, res- sistere maluerit, & illud, quod tenebat, ele- gerit. Et Epist. 163. Qui summo sententiam, quamvis falsam atque perverfam, nullâ per- tinacis animositate defendunt, corrige parati cum invenerint. (scilicet veritatem) nequa- quam sunt inter hæreticos deprecandi. Conlo- nat Concilium Viennense Clem. Unde Sum- ma Trinit. ubi definit, quod quisquis deinceps asserere pertinaciter præsumserit, quod anima rationalis non sit forma corporis hu- mani per se & essentialiter, tamquam hære- ticus sit censendus. Estque idem commu- nissimus consensus Doctorum. Hæc ratio- ne patet, qualiter Abbas Joachimi, & simi- les viri docti, non obstantibus aliquibus erroribus, satis alioquin crassis, manserint Catholici, seu non fuerint veri & forma- les hæretici: eo quòd pertinaciter errori- bus suis non inhæserint, sed judicio Ec- clesiæ suæ sensa ex animo submisserint; pro- ut de Abbate Joachimi colligitur ex c. Dam- namus, de Summa Trinit.

Ad hanc porò pertinaciam non requir- tur mora temporis major, quàm ut cum plena advertentiâ possit quis judicare de veritate sufficienter proposita, ac nihilo- minus suo velle judicio inhærere: quem- admodum nec actus oppositus fidei, ut ho- minem constituat fidelem, longiorem re- quirat moram. Quare non requiritur etiam prima aut secunda correptio. Etsi hæc pos- sit conducere ad plenè cognoscendam la- tentem pertinaciam, exinde nullo colore excusabilem, vel alijs defectu instructio- nis possit præsumi interdum in errante ignorantia.

Requiritur igitur & sufficit, ut erranti, & in errore persistenti sufficienter propositum ac declaratum sit, doctrinam opposi- tam esse dogma fidei. Hoc autem sufficienter proponitur, dum non superest rationa- bilis causa dubitandi, quin verè à Deo reve- latum sit. Quod rursum contingit, quando sufficienter proponitur dogma istud tam- quam fidei teneri ab Ecclesiâ. Qui itaque hoc non obstante non vult acquiescere, sed è contrâ suæ vult opinio in hæreticè, perti- nax est & perfectus hæreticus: ut colligitur ex Cyrano Epist. 73. ad Iubasianum ante med. ubi ait: Ignosci enim potest simpliciter erranti &c. Post inspirationem verò & re- velationem factam, qui in eo, quod errave- rat, perseverat prudens & sciens, sine venia ignorantie peccat: præsumptio enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione su- peretur.

15. Ad hanc
requiritur
pertinacia.

16. Que non
requirit
singularem
moram
temporis.

Aut correptionem.

17. Quid ad
pertinaciam
etiam re-
quiratur &
sufficiat.

Nec

18.

Nec refert, quod Hæretici perversissimi putent suam doctrinam esse veram, nec opus sit eam tradere vera Ecclesia, quin immo credat Ecclesiam Romanam, quæ id tradit, non esse veram Ecclesiam, sed Antichristi synagogam. Nam sufficit, quod sciatur opus sit eam tradere vera Ecclesia, de qua possunt & obligantur scire & credere, quod sit vera: hoc autem credere tenentur de Romana, quæ eis proponitur veluti tot Notis insignita. Unde in hoc ipso, quod aliam Ecclesiam sibi constringant, desertâ Catholicâ seu Romanâ, hæretici sunt; cum testimonia Dei de hac ipsâ, & cõsequenter de propositis per hanc Ecclesiam, credibilia facta sint nimis. Aliàs sanè vix inveniretur in mundo hæreticus; utpote prætexens non sufficienter proponi revelationem Dei per Ecclesiam Romanam.

19. *Potesse ab- solute dari perfectam infidelitatem, quin res sit proposita per Ecclesiam.*

Et hæc quidem via dignoscendi pertinaciam est ordinaria: ut regulariter non cadit sub fidem obligantem, nisi quod ab Ecclesia credendum proponitur. Nihilominus si privatim cuipiam aliquid revelaretur, sic ut evidenter credibile ei sit esse veram revelationem, & nihilominus credere nollet, error hujusmodi ab ipso foret formalis & perfecta infidelitas dei destructiva, possetque (quod tamen ad quæstionem de voce spectat) hæresis appellari, etsi hoc nomine solet potissimum intelligi error oppositus creditis ab Ecclesia Catholica. Ratio est: quia differentia hæc tantum est materialis; eadem enim utrobique est malitia infidelitatis, consistens in eo, quod voluntarie quis à prima veritate recedat, nolendo credere sufficienter propositis tamquam à prima Veritate revelatis. Unde quod varii Doctores pertinaciam constituent in voluntaria contradictione contra Ecclesiam proponentis auctoritatem, quod (ut verum sit) intelligendum est, juxta cautelam mox præmissam, de eo quod regulariter fit.

20. *A pertinacia excusatur ignorantia vincibilis, etiam excusatur ignorantia vincibilis, etiam excusatur.*

Petes I. an à pertinacia excuset ignorantia? Resp. cum cõmuni sententia Doctorum Affirm. etiam si ignorantia, quæ est causa erroris, sit culpabilis (quam putavit sufficere Sotus) aut ita crassa, ut facile negotio superari possit (quam non excusare à pertinacia censuit Sarrus) dummodo ex ignorantia erras paratus sit corrigi, & aliter sentire melius instructus. Ratio est: quia talis ignorantia non evertit formale objectum fidei, quod est divina auctoritas, optimeque cum illa cõsistit voluntas parata obedire, & credere omnia, quæ proponuntur ab Ecclesia. Unde habens talem errorem potest implicite credere veritatem circa quam errat, cum non habeat voluntatem repugnantem voluntati credendi veritatem revelatam, quando hæc ei sufficienter proponitur; prout non sufficienter proponitur in casu talis ignorantie.

21. *Immo probabilius est etiam ignorantiam affectatam, quæ sit causa erroris, excusare à pertinacia, atque adeo peccato formalis hæresis, cui poenæ Ecclesiasticæ*

imponuntur, dummodo sic errans paratus sit acquiescere definitioni Ecclesie, si illam sciret; ut præter alios docet Azorius, Aragon, Banne, Suarez, Coninck, Farinacius, quos citat & sequitur Castro Palao de Hæresi d. 3. punc. 2. n. 3. contra Cano, Navarrum, Valentia, Corduba, Torres apud Castro Palao sup. num. 2. Ratio est: quia etiam tales credere vult omnia, quæ ab Ecclesia proponuntur, adeoque implicite credit articulum circa quem errat: talis enim affectat ignorantiam, non ut discredat veritati, quam fides docet, sed ut eam non advertat, ne si adverteret eam ab Ecclesia proponi (cui se non vult opponere) cogatur suum errorem deserere.

Si tamen affectat ignorare dogma fidei, quia vult absolute adhærere suo errori, etsi sciret contrarium ab Ecclesia doceri, erit infidelis & pertinax, quia non est paratus credere factâ sufficienter propositione. Nihilominus advertit Castro Palao sup. n. 4. tali casu committi hæresim, non tam in errore qui procedit ex ignorantia affectata, quam in eo qui procedit ex scientia, & quo despicit Ecclesie auctoritatem, cujus infallibilitatem eo ipso negas. Similiter si fit error circa articulum fidei ex affectu liberius errandi: vel scis te errare, & sic nolcis te contrariari sensui Ecclesie, & ignorantia cessat: vel ignoras te errare, habens tamen voluntatem relinquendi errorem, si scires esse contrarium Ecclesie, & sic non est pertinax: vel ita es errori affectus, ut nolis eum deserere, quantumvis scires esse Ecclesie contrarium, & sic juxta prædicta es hæreticus. Prout etiam hæreticus est, qui tantum paratus est credere postquam sufficientibus rationibus est convictus doctrinam esse de fide: quia ut obligemur aliquid credere, non requiritur quod intellectus omnino convincatur, sed sufficit id nobis ita proponi, ut non possimus de eo dubitare rationaliter, quin sit verè à Deo revelatum.

Error nihilominus procedens ex ignorantia culpabili, præsertim affectatâ, etsi non destruat fidem, non hæresim ponat, est tamen peccatum contra fidem, cujus præceptum obligat, ut negligentia & affectatio ignorandi res fidei tollatur. Quæ admodum etiam omisso actus fidei tempore præcepto est peccatum contra præceptum fidei, quæ tamen per illud non amittitur. Itaque error hujusmodi ex ignorantia procedens, solumque voluit indirectè in sua causa, non repugnat directè & immediatè ipsi actui aut officio proprio fidei, sed potius obligationi sciendi res fidei, cujus obligationis non impletæ defectu nascitur talis error. Qui alioquin non habet oppositionem cum fidei motivo aut virtute, utpote consistens cum prompta voluntate credendi omnibus, quæ noverit tamquam revelata per Ecclesiam proponi, etsi ex non impleta obligatione sciendi quædam sint talia, oriatur materialis quædam contradictio consistens

22. *Quod limitatur, & magis declaratur.*

23. *Error nihilominus ex ignorantia culpabili præcedens repugnat præcepto fidei.*

consistens in praedicto errore. Quod verum est, etsi fundetur in ignorantia affectata: nam non affectatur directè error, sed ignorantia sive negligentia sciendi. Immo ne ignorans Ecclesiae positivè contradicat, vult ignorare, quod ipsa doceat. Nec propterea sequitur natos ex parentibus haereticis in Hollandia, Anglia & similibus Regionibus, suorumque majorum doctrinam falsam sequentes non esse haereticos: plerique enim sciunt, se credere contraria ijs quae credit Ecclesia. Quamvis non negaverim plures, praesertim rudiores & simpliciores, à formali haeresi esse excusatos, immo & nonnullos ab omni peccato contra fidem ratione ignorantiae invincibilis, sive quia ignorant oppositum credi à Romana Ecclesia, sive quia ignorant credibilitatem & notas Romanae Ecclesiae, quae alienis coloribus depicta eis proponitur absque eo quòd simplicioribus incidat suspicio de falsitate.

An in regionibus haereticis multi sint excusati ab haeresi formali.

24. An ignorantia vincibilis magis excuset ab haeresi, quam homicidium &c.

Nec obstat quòd peccatum ex scientia & ex ignorantia vincibili, praesertim affectata, sint ejusdem speciei, ut patet in homicidio, adulterio &c, in quibus ignorantia praedicta non excusat à peccato proprio & specifico contra illas virtutes. Nam aliud est in peccato haeresis seu infidelitatis destructivo fidei infusae, quae non amittitur, quamdiu manet homo in ea dispositione, in qua potest elicere actus fidei divinae circa articulos sufficienter propositos: adeoque infidelitas propriè dicta & completa non incurritur, quando praedicta dispositio non evertitur, sicque fides, quantum est ex parte hominis, abicitur: hoc autem non fit stante ignorantia praemissa; qua stante potest adhuc talis credere omnia, quae à Deo revelata sunt, sibiq; sufficienter proponentur. Quare talis non est absolutè infidelis, etsi graviter peccet contra fidem; quae non nisi infidelitate amittitur, idque denotatoriè, juxta ordinationem Dei: qui tamen aliud statuere potuisset, si voluisset. In eo autem est paritas cum peccatis contra alias virtutes, quòd error ortus ex ignorantia culpabili sit quoque peccatum contra fidem; sed quòd (ut dixi) non intelligitur nomine infidelitatis. A qua an specie morali distinguatur discutit Lugo disp. 16. de Paenit. sect. 4. §. 6.

25. An sufficiat ad perniciam, quòd ab Episcopis aut Inquisitoribus monitus, persistat, credens eos in proponendo falli.

Sed ulterius quaeret aliquis, an si errans ex ignorantia moneatur ab Episcopo, Inquisitore vel alijs viris doctis de suo errore, tamquam contrario dogmati fidei ab Ecclesia recepto aut definito, & adhuc in illo perseveret, putans non esse contra Ecclesiae definitionem, verè sit haereticus? Nonnulli negant, eo quòd praedicti non sint infallibiles. Sed omnino affirmandum est, dum non subest ratio specialis dubitandi, quin praedicti probè noverint, quid hac de re sit, quòdque non ex passione procedant; prout interdum contingit, Inquisitores contra fa-

nam doctrinam virorum etiam sanctorum veluti haereticam ex passione processisse. Ratio est: quia talis propositio facit evidentiam moralem, quòd tale dogma tamquam fidei tradat Ecclesia, quòd proinde sit evidenter credibile, nec sine praedictio auctoritatis divinae & ipsius Ecclesiae tali dogmati contradicitur. Estque hic modus proponendi mysteria credenda ordinarius; cum raro Ecclesia Romana immediatè, sive alijs non mediantibus, à nobis proponat. Unde etiam in foro externo talis esset judicandus haereticus & pertinax; & consequenter etiam in foro interno: cum illud judicium fori externi non nitatur falsae praesumptione, sed veritate, quae judicatur dissentientem mysterijs, quae Episcopi & similes proponunt tamquam tradita & credita à Romana Ecclesia, auctoritatem Ecclesiae voluisse contemnere, dum nulla subest moralis dubitatio, quin verè Ecclesia illa tradat & credat, cujus proinde auctoritas sufficienter ita proponitur & applicatur.

Quaeres III. an esse verè haereticus, qui falsò existimaret quidpiam ab Ecclesia Romana esse definitum tamquam articulum fidei, & nihilominus pertinaciter teneret contrarium? Resp. Aff. quamvis enim non habeat errorem fidei contrarium circa illud objectum quod putat se tenere contra definitionem Ecclesiae, tamen pertinaciter errat in eo contra fidem, quòd opinetur Ecclesiam in suis definitionibus errare posse.

26. An sit haereticus, qui negat articulum, quem falsò putat definitum.

Petes IV. An pertinaciter errans in aliqua Conclusionem Theologica, ex cujus negatione evidenter sequatur subversio aliqujus dogmatis fidei, sit dicendus haereticus? Resp. Neg. si non neget istud dogma, sed potiùs consequentiam, etsi evidentem: quamvis labore error haeresi proximo.

Item qui negat conclusionem Theologicam.

Petes V. An voluntariè dubitans de mysterio fidei satis propositio sit censendus haereticus? Ratio dubitandi est, quòd talis non habeat errorem, qui ad haeresim juxta ejus definitionem requiritur, sed suspendit assensum. Resp. Aff. cum communi sententia. Patet ex c. i. de Haereticis, ubi dicitur: *Dubius in fide infidelis est.* Et Clem. On. de Summa Trinit. *Doctrina vertens in dubium, quòd substantia anima humanae corporis non sit forma, velut Catholica inimica fidei reprobat.* Ubi est sermo, non solum de dubitante, sed etiam de ipsa doctrina, quae damnatur. Ratio est: quia talis iudicat propositionem fidei (circa quam assensum suspendit) esse dubiam, & tacitè asserit non esse certam, nec de ejus veritate constare: quòd continet errorem fidei contrarium. Unde dubium peccaminosum non consistit in quavis mera suspensione assensus, quae potest fieri absque ulla culpa, extra tēpus scilicet praeccepti fidei: sed praeterea involvit ordinariè factè, iudicium, quo objectum sic representatum existimatur non

27. An pertinaciter dubitans de fidei mysterio sit haereticus.

non esse fide infallibili dignum; in quo est error, qui non solum committitur, dum verum putatur quod falsum est, aut contra, sed etiam dum certum habetur pro incerto, aut contra, juxta *Augustinum Enchiridii cap. 17.* Addit *Lugo d. 17. sect. 5. & d. 18. sect. 1. nu. 32.* posse etiam suspensionem aliquam assensus esse dubium peccaminosum, fidei destructivum: illam nimirum, quæ imperatur à voluntate formidante, hoc est, motà argumentis ad intellectum propositis contra veritatem fidei: hæc enim apparet æquivalenter dubium positivum, & assensus de incertitudine objecti; quam voluntas videtur approbare, quatenus approbat motiva formidinis, eorumque intuitu imperat suspensionem assensus, sicque statum fidelitatis excludit.

28. Quia censendum de assensu opinativo mysteriorum fidei.

Hinc colligitur cum communj Sententia non posse de objecto fidei sufficienter proposito haberi assensum, quo judicetur simpliciter tantum esse probabile, sine formali hæresi: nam etiam in tali judicio continetur error in fide, quatenus judicatur objectum non esse certum, cum tamen tãquam tale ab Ecclesia proponatur. Aliud esset, si quis judicaret illud solum esse probabile, quãtum est ex vi hujus vel illius rationis naturalistalis enim non erat circa fidem, sed solum judicat propositionem non esse certã ex vi talis rationis. Sicut qui ex probabilibus præmissis elicit assensum opinativum circa conclusionem scientificam, non errat contra scientiam, utpote qui aliunde certus de conclusione solum versatur per opinionem circa illam quatenus illam ex præmissis incertis. Secus est, si solum opinativè assentiretur conclusioni propositæ per demonstrationem. Unde articulos fide certos solemus etiam probare per rationes naturales, auctoritates humanas & alia hujusmodi media sine præjudicio fidei. Ut proinde fidei tantummodo repugnet opinio formata de objecto revelato absolute sumpto, sufficienterque proposito tamquam fide divinã credendo. Quo sensu si qui Auctores doctrinæ à nobis traditæ refragentur, non sunt audiendi. Et quidem vereor, ne multi sint, qui se tamquam Catholicos gerunt, articulos principales fidei firmiter credentes, qui tamen plures articulos fidei obligantis habeant instar opinionum. Hi sanè nisi excusentur per ignorantiam, non carent peccato, aut etiam hæresi, suppositã pertinaciã.

29. An exponens se periculo infidelitatis, fidem perdat.

Petes VI. An amittat habitum fidei, qui culpabiliter se exponit morali periculo hæresis, eã non securã? Resp. Neg. Uti nec amittit is, qui fidem interius retinens, alios à fide avertit, etsi ambo graviter peccent contra fidem. Ratio est: quia uterque manet in eo statu, ut fidem non abiciat, sed credat omnia sibi sufficienter proposita. Ita *Lugo disp. 17. sect. 5. nu. 82.* Unde peccatum contra fidem latius patet peccato proprio dicto infidelitatis, quo fides amittitur.

QUESTIO III.

An sit cum Infidelibus de fide disputandum?

DISPUTATIO de fide cum Infidelibus seu Hæreticis indubiè non est per se loquendo illicita, si debitis nimirum circumstantiis vestiatur. Ita Doctores cõmuniter. Expatet ex facto Christi disputantis cum Pharizæis *Joan. 8.* & alibi, Stephani cum Judæis *Act. 6. & 7.* Pauli cū Judæis & Græcis *Act. 9.* Accedunt exempla sanctorum Patrum, qui frequenter cum Hæreticis alijsve Infidelibus disputarunt, ut *Augustinus* & alii. Similiter in concilijs, etiam Generalibus usus fuit disputationum, ut patet in *Concilio Niëno, Florentino* & alijs.

30. Disputatio de fide cum hæreticis non est per se mala.

Dixi si debitis circumstantiis vestiatur: his enim deficientibus, constat disputationem non esse licitam. Condiciones porrò variæ solent postulari. Et primò quidem ex parte disputantis requiritur congrua scientia & capacitas, arbitrio Prudentis determinanda pro qualitate materiæ disputandæ & personarum cum quibus disputatur. Illud autem generaliter pro comperto habendum est, scientiam debere esse talem, quæ sufficiat ad veritatis confirmationem, & argumentorum objiendorum solutionem perfectam cum proportione accommodata ad capacitatem audientium, sic ut nimirum præsentis solutionem capiant. Aliàs enim disputationis cederet in detrimentum fidei & periculum subversionis audientium, qui sæpe putant eum meliorem tueri causam, qui plausibilius fidem suam defendit. Unde ad ejusmodi disputationes corã populo idoneas frequenter aptior est mediocriter doctus, sed tamen solidè, qui novit sua clarè & populariter explicare, quàm alius, qui novit ea subtilius explere, sed non ita clarè.

31. Quia scientia requiritur ex parte disputantis.

Deinde ex parte disputantis requiritur, ut non sit ei disputatio lege positivã interdita; prout inhibetur laicis publice vel private de fide Catholica disputare, sub poena excommunicationis ferendæ sententiæ c. 2. §. *Inhibemus quoque, de Hæreticis in 6.* Ubi per laicos intelliguntur, qui non gaudent privilegio clericali; & juxta Nonnullos etiam Religiosi, quos conversos seu Laicos vocant; quia hi tamen Clericorum nomine & privilegio gaudent, eos non comprehendi cenlet *Suarez, Sanchez, Gouinck,* ut citat & sequitur *Castro Palao de Infidelitate disp. 2. pu. 4. nu. 4.* Nec sunt eximendi laici docti (quidquid Nonnulli dixerint) cum enim indoctis sit ex natura rei vetitum disputare, utique lege positivã etiam ceteris id inhibetur, tum ob decentiam sacræ doctrinæ, tum præsertim

32. Laici interditi de fide disputatio.

Etiam si docti sint.

fertim, ob defectum scientiæ communiter in laicis contingentem. Ut proinde finis communis legis non cesset, etsi in particulari cesset defectus scientiæ: semper enim perseverat communiter natus subesse defectus, ob quem potest generatim prohiberi: eò magis, quòd alioquin facillè etiam alii præsumerent de sua capacitate, sicque lex redderetur inutilis, nec obviaretur malis inde natis oriri. Estque præceptum ex genere suo grave, ut indicat poena annexa, & finis, qui est bonum fidei, vitatio contentionum &c. Quamvis possit esse frequenter levitas materiæ, prudenti arbitrio dijudicanda.

Idem sub obligatione ex genere suo gravi.

33. Prohibitio limitatur ad disputationem formalem.

Nec locum habet in necessitate, aut gravi & evidenti utilitate.

34. Non viget in locis hæresis infestis.

Notant præterea Coninck & alii passim, in terris, in quibus Hæretici cum Catholicis permixti vivunt, eam legem non esse receptam, vel contrario usu esse sublatam, quia passim ibi disputant laici, non contradicentibus Ecclesiæ Prælati. Immo sæpe ibi necessarium videtur, quòd laici disputent pro avertendo pusillorum scandalo; cum id, ubi dominantur Hæretici, à clericis fieri nequeat, ob persecutiones eorum. Ibi proinde res ista redacta est ad terminos juris naturæ. Solet etiam ab Episcopis in locis vicinis interdum facultas specialis nonnullis laicis in introverius versatis ad id concedi, ut non sine fructu nostro tempore factum vidimus. Immo generatim asserit Castro Palao sup. num. 7. citato Suarez, disputationem posse assumi à laico, si id agat iustus aut rogatus à clericis, eò quòd tunc horum nomine disputet, non vendicato sibi jure docendi & disputandi. Hæc tamen facultas clericorum indiscriminatim non satis colligitur ex tenore Canonis.

35. Quis requiratur ad limitandam disputationem ex parte fidei.

Secundò ex parte finis ad disputationem requiritur, ut is sit honestus, scilicet fidei defensio, & errorum confutatio, fidelium confirmatio, infidelium conversio, aut infirmorum confortatio. Illicita verò est, quando disputans intendit fines oppositos; ut incendant Hæretici. Simili-

Herincx Sum. Theol. Pars III.

ter quando ipsa fit, non firmo animo defendendi fidem, sed dubio, in ordine ad inquirendum, an sit vera & amplectenda: talis enim ostendit se dubium in fide. Hoc tamen intelligendum est de iis, quibus fides est sufficienter proposita, ut teneantur credere & omne dubium excludere. Secus est de eo, cui nondum est sufficienter proposita fides: talis enim non solum potest cum Hæretico, sed etiam cum Catholico disputare veritatis indagandæ causâ, modò sit paratus eam suis cogitamentis amplecti. Immo etsi Hæretici malè faciant dubitando de fide, quam sciunt ab Ecclesia Catholica credi, positâ tamen hæc dubitatione, quando eam ob quædam argumenta non ita statim possunt expellere, bene facient (ut varij advertunt) si rationes suas dubitandi exponant viris doctis, ut ab iis instruantur, modò parati sint credere habitâ rationabili solutione. Idem dicendum est de Catholico, qui de aliquo fidei articulo sufficienter sibi proposito, interius dubitat. Ratio est: quia humanitus loquendo non est alius modus, quo possint omnino converti, & in vera fide stabiliri. Immo hoc ipso, quo dictâ intentione veritatem inquirunt, desinunt esse hæretici, ut patet ex Augustino Epist. 162.

36. Quis requiratur ex parte effectus.

Tertiò ex parte effectus requiritur utilitas seu fructus in eo, quocum disputatur, aut certè in audientibus. Aliâ disputatione erit inutilis & illicita, eò magis, si timeatur damnum, quod spe fructus non compensetur. Damnum porò oriri possit, si ineatur coram rudioribus, qui nihil de hæresi ejusve fundamentis audiverunt, nec ad hæresim sollicitati sunt, aut in scrupulos missi; in quos facillè inciderent, citius capiendò objectiones, veluti ex naturalibus & plausibilibus desumptas, quam solutiones, ex supernaturalibus & magis difficilibus petendas. Eoque collinant Hæretici, ut firmos fatigent, infirmos capiunt, medios cum scrupulo limitant, ut de ipsis dixit Tertullianus l. de præscript. c. 15.

Ut autem melius dignoscatur cum quibus erroribus & qualiter sit procedendum.

Adverte nonnullos esse dubios, nonnullos frigidos, aliquos zelosos, alios denique ex pura malitia pertinaces. Cum dubiis, qui veritatis intelligendæ (quam proprio ingenio capere nequeunt) causâ cum doctioribus conferre desiderant, fraternè & ad cuiusque captum accommodè tractandum est, audiendo, & quantum fieri potest clarè solvendo rationes dubitandi; unâ ingerendo, non mirum esse, quòd qui pleaque etiam naturalia non capimus, subtilia fidei nostræ mysteria, in quibus intellectus est captivandus, non penetremus. Cum frigidis (qui de vera fide ammoniti, frivolas rationes allegant, cur eam non amplectantur, aut amplecti timeant)

37. Quis procedendum cum dubiis, frigidis, zelosis in suo errore.

Q

serio

ferid & severè agendum, ostensâ frivolitate excusationum eorumdem, & ponderatâ gravitate negotii veræ fidei, unde pendet æternitas. Cum zelosis (qui non tam ex malitia, quàm ignorantia errantes, pro sectis suis valde zelantur) benevolè & modestè agendum, nec tam argumentis obruendi, Quàm exemplo Stephani pro Saulo orantis, Deo per calidas preces commendandi sunt, ut revelato fidei oculo cognoscant falsitatem suæ sectæ, quam tanto zelo defendunt.

38. Qui cum obstinatis ex mera malitia.

Cum ultimo & pessimo Infidelium genere, qui probè scientes se à communi Ecclesiæ & antiquitatis sensu recedere, tamen ex superbia & mentis obduratione obstinatè resistunt veritati, ne appareant convicti (quales sunt Hæresiarchæ, & plerique Ministri Hæreticorum) non est facile disputandum: cum enim contumaces sint & superbi, nolunt respiscere, etsi convicti, sed tantum verbis contendere, & posthabito veritatis studio suam ex disputatione gloriam captare, cordaque simplicium seducere, juxta illud Augustini lib. 13. contra Faustum cap. 12. Non enim disputare amant heretici, sed quomodo superare impudentissimâ perveraciâ, ut congregent qua non pepererunt. Unde non tam attendunt, quid pro vera fide probanda dicatur, quàm qualiter argumenta & responsiones Catholicorum possint eludere aut sublannare, aut aliqua ad plausum objicere, ut audientibus appareant triumphasse. Si tamen ob aliorum in fide firmamentorum utilitatem cum iis agendum sit, coercendi sunt intra limites certæ materiæ, & ad responsiones in forma debita, ut sic arctius possint constringi & palam confundi: alias enim ab una materia transiliunt ad alteram disparatam causâ effugii. Incumbit etiam Hæreticis onus Actorum: cum Catholicis veteri prioribus possessoribus solum incumbere queat onus defensionis, nisi gratis onus Actorum assumant. Præterea congruè incipit disputatio à Judice controversiarum, distincto à Scriptura & spiritu privato: Qualem negantes nullam controversiam ex aliqua Scriptura poterunt clarè decidere vel probare; veluti ad quod non sufficit, adferri loca aliqua apparentia. Quare urgendi sunt, ut ostendant (quod numquam ostendere poterunt) talem esse locorum Scripturæ sensum.

Postrema conditio licite disputationis.

Ultima denique licitæ disputationis conditio est, ut à contentione, convitiis & jactantiis abtineatur, & pondere auctoritatis, non verborum aculeis procedatur.

QUESTIO IV.

An, vel Qualiter possint Infideles cogi ad fidem Christianam suscipiendam?

SUPPONENDUM in primis omnes valde baptizatos, etiam in infantia aut per metum, si falsam fidem proficiscatur, posse pœnis etiam corporalibus, ad Catholicam fidem profitendam compelli. Dico ad profitendam fidem; non autem ad ipsam fidem: quia cum homines de internis actibus judicare nequeant, etiam ad eos non possunt compelli. Probatur suppositio in primis auctoritate omnium Catholicorum, & antiquissimâ consuetudine Ecclesiæ, quæ tam jure Ecclesiastico quàm civili gravissimas semper in Hæreticos pœnas statuit. De baptizatis in infantia, etsi nunquam actu proprio fidem Catholicam sint professi, habetur specialiter definitio Tridentini sess. 7. can. 14. De iis autem, qui metu ad actum baptismum susceperunt, sic in speciali decernunt Canones. Vide c. Contra Christianos, de Hæreticis in 6. c. Majores de Bapt. Et c. de Judæis dist. 45. Ex quo à fortiori etiam patet, compelli posse eos, qui aliquando Catholicam fidem professi, & contra metum baptizati, ab ea defecerunt.

39. Baptizati, etsi in infantia aut per metum, possunt ad professionem vere fidei compelli.

Supponitur deinde à Doctoribus communiter, Infideles non baptizatos, nec fidelibus Principibus subjectos, non posse vi vel armis compelli ad fidem suscipiendam, aut ejus prædicationem audiendam: nec ideo præcisè, quia illa recusant, facere rebus suis privari posse. Ratio est: quia nec Ecclesia, nec Principes Christiani habent in eos jurisdictionem, sine qua illa compulsio licitè fieri nequit; cum par in parem non habeat imperium, sed tantum in subditos. Quamvis Major & quidam Genesis Sepulveda Caroli V. Chronista oppositum sensisse referantur.

40. Secus est, de non baptizatis, utrum Christiano Principi subjecti.

Nihilominus possunt dici Infideles (si id aliàs Leri queat) compelli ne eos, qui eam apud eos prædicant, aut eam suscipere volunt, injuriosè impediunt, aut eos contumeliosè & injuriis fidei causâ afficiant. Nam Matth. & Marci ult. Ecclesia accepit à Christo potestatem, jus, & mandatum prædicandi Evangelium omnibus Gentibus. Unde dum sic impeditur à potestatis, juris & mandati illius executione, fit ei injuria, quam vi potest repellere. Similiter qui vi, contumeliosè, bonorum direptione, & similibus modis impediuntur, ne liberè Prædicatores fidei audiant, ipsamve fidem suscipiant, patiuntur innocenter gravem injuriam: poterit igitur Ecclesia defensionem talium suscipere, & auxilio Principum Christianorum injuriam illis illatam propulsare, ipsis saltem expressè vel

41. Possunt hi cogi ne injuriosè prædicatores fidei trahant.

Aut impediuntur volentes audire.

Quaest. IV. An vel qualiter possint Infideles cogi ad Fidem. 175

vel tacite poscentibus. Confirmatur: quia Ecclesia veluti suprema respublica habet jus mittendi Legatos pacis Christianae, qui sunt Praedicatores fidei: adeoque si male tractentur, possunt defendi, & vindicta injuriae proportionata sumi. Hinc Pontifex interdum Principibus fidelibus committit, ut in Provinciis infidelium praedicatores fidei protegant, & infideles resistentes coerceant. Quo casu Pontifex Principi Adeli directe non dat dominium super regna & provincias infidelium, sed munus & jus coercendi armis impediennes injuste fidei praedicationem. Quo pacto Alexander VI. inter Reges Castellae & Lusitaniae divisit Provincias utriusque Indiae, dividendo nimirum inter illos directe curam & jus praemissum quoad Regiones singulis assignatas, ut post *Victoria & Suarez* notavit *Lugo d. 19. sect. 2. num. 49.*

42. Subjecti principibus Christianis possunt ab his cogi ad fidem audiendam.

Solum ergo restat difficultas de infidelibus subjectis Principibus Christianis, an ab his cogi possint ad fidem audiendam & recipiendam. Et in primis ne quidem ad fidem audiendam illos posse à Principe cogi, censent *Coninck, Valentia* & plures alii. Sed oppositum docet *Suarez, Hurtado* & alii passim, ut testatur & sequitur *Lugo sup. num. 54.* Et probatur ex *Constitutione 92. Gregorii XIII. in Bullario*, quae incipit *Sancta Mater Ecclesia*, cujus observantiam exactam hodie Romae videmus, inquit *Lugo supra.* In ea porro Judaei subjecti poenis & multis coguntur ad audiendam singulis hebdomadis concionem de rebus fidei Christianae, in terris & locis, in quibus extant eorum synagogae. Et quidem legenti verba Bullae apparet satis manifestum, non obedientibus imponi proprie poenam, locumque habere coactionem directam, & non solum indirectam, quae in hoc consistit, quod à tributo licite alioquin imponendo eximantur convenientes ad audiendam concionem. Neque hoc excedit potestatem Principis laici, qui sicut potest recipere & audire legatos undecumque missos, ita & praecipere subditis, ut eos audiant, praesertim si legatio sit de rebus ad eorum bonum pertinentibus; ut arguit *Lugo d. 19. num. 58.* Rationem autem dat *Arriaga d. 25. sect. 3. num. 22.* quia Princeps habet jurisdictionem mandandi ea, quae sunt licita & honesta (prout indubie est auditio fidei) & simul ordinantur ad politicam gubernationem ac pacem in regno conservandam; ad quod maxime idoneum est, ut saltem intelligant subditi fundamenta fidei Christianae, ac de Christianis melius sentiant, ab iisque minus avertantur. Quod amplius declarat ex eo, quod juxta regimen, etiam naturale, soleat ac debeat esse aliquod spirituale caput, sive à republica, sive à Deo designatum; adeoque esse debeat

Herincx Sum. Theol. Pars III.

in hujusmodi communitate infidelium: non possit autem commodius assignari alius, quam qui est simul caput in temporalibus: cui proinde infideles censentur se subijcere etiam quoad religionem, quousque non subsunt Ecclesiae, eatenus saltem, ut obediant in acceptando medio ad verae religionis electionem utili, quale est auditio fidei.

43. Immo saltem indirecte, etiam ad fidem suscipiendam seu professionem.

De coactione autem subditorum ad ipsam fidem suscipiendam, major est difficultas, si de coactione directa sit sermo, quod addo: nam coactio indirecta modis aliis licitis non vertitur in controversiam. Sic enim possunt Principes subditis infidelibus prohibere in primis omne exercitium suae Religionis, quatenus id aut juri naturae contrariatur, aut natum est rempublicam turbare; quod faciendo aliqua ratione incitant eos ad veram Religionem capeffendam, dum iis auferunt ea, quae prius eos impediabant. Secundo possunt eos arcere ab officiis publicis: quia ad haec non tenentur eos admittere, qui sua infidelitate se iis indignos reddunt. Tertio possunt iis negare privilegia, quae ex gratia aliis concedunt; quia sine injustitia possunt haec aliquibus negare existente iusta causa. Quarto possunt strictius ab iis exigere tributa aliaque onera; quae iuste iis possunt imponere, sub promissione alicujus exonerationis, si ad fidem convertantur. Quod medium etiam suggerit *Gregorius lib. 3. Epist. 26.* Et *lib. 4. Epist. 6.* Itaque indirecte cogendo Principes utuntur jure suo, quod volunt toto rigore exequi, negata liberalitate seu remissione, nisi sequatur conversio. Immo per accidens potest quaedam indirecta coactio interdum exerceri etiam circa non subditos, privando scilicet eos beneficiis aliis indebitis, v.g. libertate commercii, vel auxilio in bello alioquin iusto, nisi Princeps infidelis fidem profiteatur, eive in suo regno favorem praestet: utuntur enim jure suo Christiani, negando ea, ad quae concedenda nullo jure tenentur.

44. Directam coactionem non licere, recepta habet doctrina.

Ad coactionem itaque directam quod attinet, communis sententia Doctorum cum *D. Thoma q. 10. art. 8. & 12.* asserit eam esse illicitam, tum jure humano, tum etiam divino seu naturali.

Prohibitio humana patet ex c. *Qui sin-* *cera, d. 45.* quod est *S. Gregorii. C. De Juda-* *is, ead. dist.* quod est *Toletani 17. c. 55.* Et *c. Sicut Judaei, de Judaicis.* In quibus (inquit *Castro Palao d. 2. pu. 6. num. 3.*) non tam est nova prohibitio, quam declaratio prohibitionis divinae. Si quidem in c. *Majores, de Bapt.* dicitur id esse contra Christianam religionem; prout etiam urget *Suarez d. 18. sect. 3. num. 5.* Verum (ut notavit *Lorca* *Cap. Majores, de Bapt. non recte quidam urgent.*) ibi non agitur de coactione ad baptismum suscipiendum, sed de eo, qui omnino invitus, & sine ullo



consensu, adeoque invalide baptizatus erat, quem proinde obligare ad observantiam legis Christianæ (quæ solos baptizatos tangit) est contra Religionem Christianam. Coactus autem per metum ad susceptionem baptismi, declaratur ibidem esse obligatus ad mandata religionis Christianæ implenda.

45. Probatur ex jure naturali & divino.

Inhibitio divina & naturalis probatur: quia potestas coactiva hujusmodi non convenit Principibus Christianis per concessionem Ecclesiæ; cum hæc ipsa non habeat potestatem in infideles, sed solum in baptizatos, juxta certam doctrinam. Non etiam competit eis vi proprii officii: cum hoc totum ab hominibus sit acceptum, merèque politicum ac naturale sit, nec non ordinatum ad similem finem, qui est reipublicæ politicæ quies & bonum. Unde etiam eadem potestas competit Principi Infideli; qui consequenter deberet habere potestatem compellendi subditos ad susceptionem fidei Christianæ sufficienter propositæ. Accedit perpetuus usus Ecclesiæ, quæ exemplo Apostolorum non vi externâ, sed efficaciam prædicationis infideles ad fidem allicere cõsuevit. Quæ nimirum forma à Christo data fuit Apostolis mundum converturis. Et congruit omnino humilitati & mansuetudini Evangelicæ, ac libertati fidei. Aliàs quoque nata essent plura oriri incommoda ex ficta plurimorum conversione, & odio erga fidem etiam filiis secretò instillando.

46. Non esse jure divino aut naturali illicitam, sicut Scotus & alii.

Nihilominus Scotus 4. d. 4. q. 9. n. 2. & 3. (quem præter Scotus sequuntur Gabriel, Alphonsus à Castro) censet talem coactionem, suppositâ scilicet sufficienti instructione, adeoque debito suscipiendi fidem, non esse ex natura rei aut jure divino illicitam. Quod etiam probabile esse censet & probat Lorca q. 10. art. 8. d. 36. num. 7. & seqq. Et favet Concilium Tolosanum IV. quod refertur c. De Judæis d. 5. ubi tametsi statuatur, ne deinceps Judæi cogantur fidem suscipere, non tamen declaratur id illicitum antea fuisse ex jure divino (quidquid dicat Castro Palao sup. similiter quoad hoc deceptus circa alia jura, ut patet ea inspicienti, signanter c. Sicut Judæi, de Judæis) nec improbat oppositum factum Sisebuti, quin potius licitum fuisse insinuat Concilium, appellas cum proinde religiosissimum principem. Nec potest cum Castro Palao n. 5. explicari de coactione indirecta: nam id est contra mentem Concilii, in quo juxta ipsum Castro Palao prohibetur directa coactio, & quidem (ut ex contextu patet) tamquam opposita facto Sisebuti.

47. Et legitimus Imperatorum.

Favet etiam L. Qui post sanctam, Cod. de Paganis, ubi mandatur non baptizatis, ut proles curent baptizari, majorum autem nolentium suscipere baptismum bona idcirco confiscantur. Et L. Caliscolarum, Cod. de Ju-

dais & Calicolis, statuitur de Calicolis: Hinc nisi ad Dei cultum venerationemq; Christianam conversi fuerint, legibus, seu poenis, quibus precipimus hæreticos adstringi, se noverint adstringendos. Unde apparet eos non fuisse hæreticos (quibus etiam eos non accenset Augustinus de Hæresibus) sed potius infideles, aliquam tamen Christianitatis speciem fortasse prætendentes, instituto etiam apud eos novo adeoque invalido baptismo, ut indicat Augustinus Epist. 163. in fine. Similiter contra Samaritanos & Manichæos sunt strictissimæ Imperatorum leges Cod. de Hæreticis & Manichæis. Et quidem Manichæi vix à Paganis distabant, nec baptismum saltem legitimum admittebant. Contra quos nihilominus plurimi Imperatores pari jure, quo contra alios Hæreticos legitime baptizatos, processerunt; & videntur procedere potuisse similiter contra alios legitimo baptismo carentes.

48.

Ut proinde non ita pateat usus contrarius quasi perpetuus in Ecclesia, prout alii prætendunt; & gratis admissus, non inferret prohibitionem divinam, sed abstinentiam Ecclesiæ à re minus plerumque convenienti ob periculum majorum malorum. Quæ etiam interdum cessare possent, & aliunde sperari maximum bonum; quod nimirum paulatim Gens aliqua sit sub jugo suavi Christi curanda, & ad proles seu posteros ab infanti instruendos fides sincerissima transmittenda, etsi forte in principio multi cõversionem simulassent. Nam certe possunt etiam gravia incommoda simulationum &c. timeri ex coactione indirecta, quæ tamen per se licita est. Prout quoque timeri possunt ex coactione directa & severissima apostatarum & hæreticorum; quæ tamen justa & licita est.

Mala inde oriunda possent abesse, & magna bona consequi.

Incommoda etiam subesse possunt in conditione infidelium indirecta, aut apostatarum & hæreticorum directâ.

Quod autem Apostoli tamquam agni inter lupos sine potentia externa mittantur, eos sine violeptia converturi, eamque formam prædicatores fidei teneant, immo tenere debeant, non convincit, Principes non posse uti coactione erga subditos suos refractarios. Quæ admodum etsi prædicatores fidei non cogant infideles ad fidem ardiendam, possunt hos ad id cogere eorum Principes etiam infideles, per se loquendo, juxta alios passim. Immo nec injurias sibi illatas leguntur prædicatores vi repulisse, quas tamen repellere possent saltem pro eis principes.

49. Rationibus aliis contraria sententia demonstratur.

Ratio est: quia etsi Ecclesiæ non competeret prædicta potestas, posset competere Principibus vi officii sui, vi cujus possint adigere subditos Ecclesiæ non subjectos ad servanda jura naturæ ac jus divinum, quo obligantur suscipere fidem satis propositam: Quæ admodum juxta alios passim possunt eos cogere ad fidem audiendam. Confirmatur: quia potestas principum quoad infideles sibi subjectos videtur manere

Probatur ratione.

Qu. V. An Infideles sint Cogendi ut relinquāt Errores, &c. 177

manere in iisdem terminis, in quibus esset, si Christus nullum Ordinem Hierarchicum in Ecclesia instituisset; tunc autem plebs subiciens se principibus seu regibus, fuisset iisdem subiectus etiam in negotio religionis. Quod etiam fatetur *Arraga d. 25. num. 22.* inde probans posse Principes cogere huiusmodi infideles subditos ad fidem audiendam, & in consequenter negans esse subiectos aut cogibiles ad fidem profitendam. Et planè non repugnat ex natura rei populum huiusmodi potestatem in principes transfuisse; in ipsos autem transfulerunt omnem potestatem illimitatè. Quamvis hanc impiè sibi arrogent nonnulli principes hæretici, etiam in subditos Ecclesiæ.

Ex quibus confirmata manet sententia Scoti, & soluta, quæ ex parte juris divini aut naturæ contra eam adferri possent, eatenus præsertim, ut appareat non esse improbabilis: quamvis negari nequeat, quin opposita, uti communiter recepta, sic & probabilissima sit. Quæ autem adferuntur contra sententiam Scoti ex iure humano, nil obstant: cum solum asseratur, quid ex natura rei seu iure divino sit licitum. Quamvis alioquin canones allegati expressè solum agant de Judæis; in quibus ob singularem malitiam & obstinationem velut hereditariam plus est periculi & major ratio prohibitionis.

51. Concluditur probabilis doctrina Scoti.

Ei prohibitio Ecclesiastica non obstat.

Quæ expressè solum agit de Iudæis.

QUÆSTIO V.

An Infideles sint Cogendi, ut Errores & vitia contra naturam Relinquant?

NON est sermo de Infidelibus baptizatis: quorum errores & ritus fidei contrarios posse & debere extirpari, quando id commodè fieri potest, est manifestum. Et de facto Ecclesiæ, etiam invocato auxilio brachii sæcularis, id facit, gravissimisque pœnis deviantes mulctat. Ratio est: quia tenetur Ecclesiæ pro posse subditos ad rectam viam reducere. Dixi *quando id commodè fieri potest*: interdum enim hæreses in quibusdam locis, dissimulante Ecclesiâ tolerantur, quod pericula majorum infortiorum. Utilius quoque interdum permittitur in provincia alioquin hæretica libertas conscientiæ, dum sic etiam Catholica religio gaudet impunitate, quâ ibi caret. In provincia verò Catholica posset eandem libertas permitti, sed non nisi ex causis gravissimis, & rebus quasi desperatis. Sicque longè utilius prospectum fuisset Catholicæ fidei in districtu Biscoducensium, si postulata à Statibus Confœderatis conscientiæ libertas cum hæresis publico in paucissimis ejusdem districtus locis exercitio fuisset admissa, quam dum è contrâ eâ denegata, fuit subsecuta exercitiorum re-

Herincx Sum. Theol. Pars III.

ligionis Catholicæ totalis exterminatio. Advenis similiter, aut certis personis, ex gravi causa (quæ planè requiritur) & cavendo indigenarum perversionem, permittitur interdum in quibusdam locis ritus falsus vel hæresis.

Dum autem Principes libertatem conscientiæ hæreticis concedunt, tenentur ipsi stare promissis, & fidem datam servare, etsi quoad Ecclesiæ subditos non teneatur ipsa stare concessa, citra consensum Papæ per Principes Salvo conductu aut immunitate. Ipsa alioquin Ecclesiæ etiam tenentur servare fidem à se datam; ut clarissimè colligitur ex Salvo conductu dato Protestantibus à Tridentino, qui habetur ad calcem *sess. 15.* Quod enim licitè promittitur, ex debito observatur: licitè autem ob bonum commune religionis potest se Ecclesiæ per promissum tale adstringere. Quod verò Hæretici objiciant fidem datam Joanni Hus & Hieronymo Pragensi non esse servatam à Concilio Constantiensi, est mera calumnia: nam gratis concessa (quod tamen quidam negant) eos habuisse, saltem ab Imperatore, salvum conductum, Ecclesiæ non potuit exinde obligari, sed jus eos judicandi & puniendi retinuit. Et quamvis fuerit à Concilio ex parte Hieronymi Pragensis postulatus, tamen Concilium noluit dare absolutum, sed solum promissit eum audire sine vi, & justitiâ semper salvâ. Sed & adhuc fides ei servata est: nam clementer auditus hæreses abjuravit, subiciens se severitati canonum in casu relapsus (ut patet ex confessione ipsius Hieronymi *sess. 16.*) adeoque cedens juri impunitatis. Propter quod pœnitens abjuratonis factæ, & relapsus in hæreses, meritas pœnas luit.

53. An Principes Christiani & Ecclesiæ servare debent fidem hæreticis datam.

Nec illam infregit Concilium Constantiense.

Solum dubitari posset de Infidelibus non baptizatis, tam de subiectis Ecclesiæ & Christiano Principi, quam de non subiectis. Et quidem si Infideles non sunt subditi tēporaliter Ecclesiæ vel Christiano Principi, non obligatur specialiter Ecclesiæ, nec Christianus Princeps procurare, ut errores deponant, quia sibi specialiter committi non sunt; obligantur tamen lege charitatis, eo modo, quo unusquisque obligatur ad salutem alterius procurandam. Si Infideles autem Infideles subditi sunt Christiano Principi, vel tēporaliter Ecclesiæ, sicuti Christianis Judæi Romæ commorantes subduntur Pontifici, tunc obligatur Ecclesiæ seu Christianus Princeps eos ab erroribus rationi naturali contrariis, & à falso cultu, & superstitioe Deorum removere, aliæque scelerata legi naturæ contraria, quæ lege civili prohiberi possent, impedire, quantum commodè potest. Quod addo: non timor perturbationis rei publicæ aut alterius gravioris mali, prudenti arbitrio pensandus, potest ab hac obligatione in toto vel in parte interdum excusare. Ratio est: quia potestas

54.

Infideles subditi Christianis Principibus cogendi ut errores juri naturæ contrarios relinquunt.

politica principis non limitatur ad subditos fideles (quos utique potest ad hoc cogere) sed extenditur ad omnes etiam infideles, quos potest & debet dirigere in ordine ad finem naturalem, adeoque ut secundum rationem vivant: item in ordine ad pacem, & honestum reipublice statum ac humanum convictum. Unde sicut furta, homicidia, & similia, sic etiam cultum demonum & similia peccata legi naturae contraria, nec non reipublice maximè deonestantia prohibere potest. Ideoque Imperatores Christiani legibus ab Ecclesia commendatis, aut etiam interdum postulatis, idololatriam, clausis aut everfis idolis, severissime prohibuerunt.

55. Quia tamen reipublica solum punire potest eos, qui ipsam ejusve tranquillitatem laedunt, censet *Bannez, Suarez, Coninck* & alii, ut citat & sequitur *Lugo d. 19. n. 116.* debere principem prius lege suâ prohibere ejusmodi delicta, antequam delinquentes puniat, cum aliâ non censentur ejus auctoritatem vel tranquillitatem laedere. Estque hic suavior humanæque indoli magis accommodatus modus. Alioquin non videtur negandum (inquit *Lugo*) atrociora & extraordinaria crimina posse à principe puniri, licet lex nullam poenam designarit. Idemque dici potest de quolibet atroci crimine in Deum vel homines, etsi lege non expresse, utpote reipublice tranquillitatem maximè perturbante: ut satis sit, quod ipsa deiçti qualitas suadeat, non fuisse mentem legislatoris impunitatem concedere.

56. Quod si ritus horum infidelium non sint contra naturam, sed solum contra nostram fidem, quales sunt ritus Judæorum & plures Mahumetanorum unum Deum colentium, communis sententia tradit Principes non posse hujusmodi subditos cogere directe, ut eos deserant, uti nec ut fidem amplectantur, conformiter ad communem sententiam discussam *quæst. preced.* Immo juxta Doctores ex *c. 1. & 3. de Judæis & Saracenis* possunt principes Christiani ritus Judæorum tolerare, quamvis exercentur sine injuria fidei nostræ: eò quod non sint contra jus naturæ, & illustrent non modicum fidem Christianam, cujus sunt figuræ. Quamvis indubiè fidei & animarum zelus adlaboret ad hujusmodi infidelium conversionem, eaq; mediante falsorum rituum exterminationem. Et in Canonibus citatis sic permittitur Synagogarum retentio aut reformatio, ut inhibeat novarum ædificatio.

57. Difficultas ergo restat de Infidelibus Principi Christiano non subjectis, an possint ab Ecclesia vel Principibus Christianis extraneis cogi, ne idololatriam & similia vitia naturæ contraria exercent. Nonnulli affirmant. Sed *Casertanum, Victoria, Soto, Suarez,*

Coninck & alii communiter negant. Ratio est: quia in hujusmodi nullam habent jurisdictionem, sive Ecclesia, sive Principes Christiani: potestas autem punitiva seu coactiva non potest exerceri sine jurisdictione, seu in non subditos. Confirmatur: tum quia Ecclesia aut Principes Christiani nequeunt talibus aliquid præcipere aut prohibere, ergo nec punire seu cogere illos: tum quia aliâ possent Principes Christiani hoc titulo etiam invicem cogere mutua regna invadendo: tum quia defectu superioritatis hujusmodi coactio non competit homini privato, nec civi fidei erga concivem infidelem.

Nec obstat I. illud *Eccli. 10. Regnum à Gente in Gentem transferetur propter injurias, & injurias, & contumelias, & adversos dolos.* Nam (ut omittam sermonem esse specialiter de peccatis contra justitiam) solum ibi asseritur, quid Deus ipse frequenter faciat vel permittat in poenam, non quid alii homines justè facere possint, citra specialem Dei iussionem.

Non obstat II. Quod Israelitæ Chananeos ob eorum idololatriam deleverint, eorumque regiones occupaverint. Nam id egerunt ex speciali concessione Dei, omnium supremi Domini. *Cyprianus* autem in *Exhortatione ad Martyrium c. 5.* urgens interfectionem idololatrarum, non agit de alienigenis non subditis, sed de apostatis ad idololatriam deficientibus, aut certè de iis, qui ipsos ad hoc crimen allicerent. Similiter *Gregorius l. 1. Epist. 73.* laudans Gennadium *Exarcham* Africae, quod belligerando contra infideles fidem dilataret, agit de Wandalis vel aliis injustè à Romano imperio deficientibus, aut ejus terras invadentibus.

Non obstat III. Quod Alexander VI. *Constitut. 2. Inter Cetera* motu proprio dominium insularum novi orbis inventarum & inveniendarum, quæ non erant sub dominio alicujus Principis Christiani transtulerit in Ferdinandum & Elizabetham Reges Catholicos; quod non alio titulo videtur fieri potuisse, nisi ob idololatriam & peccata insularum contra legem naturæ, adeoque habebat Pontifex hoc titulo potestatem disponendi de regnis infidelium. Nam hæc Pontificis concessio est intelligenda juxta terminos juris; supposita nimirum aliunde justâ causâ belli, quâ suppositâ Pontifex tribuit Regibus Castellæ, exclusis ceteris Christianis, facultatem loca ista sibi occupandi. Unde *Coninck disp. 18. num. 160.* refert Paulum III. postea per Bullam quandam declarasse, Indos infideles esse veros dominos suorum bosorum, nec iis posse spoliari; subintellige similiter, nisi aliunde justâ spolia causa intervenerit.

Non obstat IV. Quod aliquæ nationes sint ita barbaræ, ut videantur à natura constitui in servos. Ideoque *Augustinus 5. de Civit.*

55. An necessario præceant prohibitio specialis punitionem eorumdem,

56. Rituum rationi non contrarios an vi tollere aut patenter tolerare possint.

57. Non possunt cogi ab Ecclesia aut principibus Infideles illis non sub-

58. Occurrit Causis Objectionibus ex auctoritate petitis.

59.

Quæratio ne Alexander VI. Regibus Castellæ de iis insularum novi Orbis.

An Barbari sint subjugandi, & an inde Romani laudabiles.

Civitas cap. 12. & 17. laudat Romanos, quod barbaras nationes subjugarint. Nam natura barbaros non constituit servos, sed ad vivendum aptos. Quod si aliqua natio tam barbara reperiretur, quæ gubernationis esset incapax, subjugari ad summum posset titulo defensionis naturæ humanæ, non religionis. Nec Romani laudantur, quod barbaros eis non obstrictos subjugarint, sed quod subjugatos bonis moribus instrui curaverint.

60. Injuriam Deo factam per hujusmodi infideles cur nequeant ulcisci extranei.

Non obstat V. Quod Principes possint impedire & ulcisci injuriam factam innocenti, adeoque etiam factam Deo per peccatum. Nam si id rectè sequeretur, idem inferri posset de quibusvis peccatis, etsi non contrariis legi naturæ. Deinde juxta *Cominck d. 18. num. 201.* solum possunt impedire injuriam innocentis ex tacita vel expressa illius concessione; Deus autem nec expressè nec implicite commisit Principibus impedire aut ulcisci injurias sibi ab extranea republica illatas. Et quidquid sit de præfata regula sic limitata, saltem prædicta non licent privatis seu non superioribus injuriam inferentium, quando majora damna publica inde sequerentur; prout in casu fieret. Quidquid sit, an omnia peccata mortalia contineant injuriam propriè dictam contra Deum. Quod si urgeatur, hinc sequi gravissima quorundam crimina non posse debite puniri, respondeo si subditi deviant, puniendos esse à propriis Principibus. Qui si id non præsent, per accidens est, & punitio Deo relinquenda, uti & ipsorum supremorum Principum infidelium à lege naturæ deviantium.

61. Quid quæritur ratione puniti Principes Christiani agere contra Infideles non subditos.

Nihilominus ex communi sententia possunt infideles Christianis non subditi à Principibus Christianis etiam armis impediri à peccatis, quæ sunt innocentibus nociva, aut Religioni injuriosa: hoc enim non tam est jurisdictionis exercitium, quam fides & innocentium defensio. Unde potest contra illos procedi, si contra Religionem blasphement, conversionem subditorum violentè impediant, adultos innocentes aut parvulos tamquam victimas idolis offerant. Idque etiam si innocentes auxilium expressè non petant; cum saltem præsumantur velle tutelam ab iis, qui opem ferre possint. Immo id verum est, etsi occidendi in necem consentiant, juxta *Suarez, Lugo & alios contra Cominck*: tum quia nullus habet dominium in vitam, adeoque consensus perinde se habet, ac si non esset: tum quia tales reputari possunt tamquam amentes, quos etiam nolentes licet defendere: tum quia volentem se interficere possumus ligare, adeoque & impedire occisionem in præsentis casu. Cessante tamen injuriâ & præjudicio innocentum, cessare debet actio defensiva, ne degeneret in punitorem pro præteritis delictis, quæ pertinet ad solum superiorem.

QUESTIO VI.

An Infidelibus Competat Dominium in Fideles, Eo ve privari possint?

CERTUM in primis est, Infideles esse capaces domini, tam despotici, quale habet dominus in mancipium, quam politici (quod vocari solet potestas jurisdictionis) quale habet Princeps in subditos. Certum præterea est jure divino Infideles neutro dominio privari per hoc, quod eorum servi aut subditi sint vel fiant Christiani. Unde Imperatoribus & Principibus Ethnicis Christiani non minus, quam ceteri fuerunt subditi. Et ipse Christus fidelibus Judæis *Matth. 22* respondit, reddenda Cæsari, quæ Cæsaris sunt. Eandem subjunctionem commendat *Petrus 1. Epist. cap. 2.* Et *Paulus ad Rom. 13.* obligationem hujusmodi subjectionis ad potestates sublimiores, tunc infideles, exaggerat. Nec alicubi reperitur jus divinum, quo Infideles hujusmodi jurisdictione aut dominio priventur. Oppositum etiam non expedivisset bono fidei.

62. Infideles sunt capaces domini.

Quo non privantur conversione subditorum.

Immo juxta communem sententiam (etsi quidam referantur in contrarium) non potest Ecclesia Principes infideles, non baptizatos scilicet, potestate jurisdictionis privare; cum nullibi hæc potestas reperiat concessa, & aliunde hi Principes non subditi Ecclesiæ. Unde fideles tenentur hujusmodi Principibus obedire, non solum ratione scandali, seu (ut *1. ad Timoth. 6.* dicitur) ne nomen Domini blasphemetur, sed etiam per se, propter communem obligationem, adeoque propter consentiam, ut dicitur *ad Rom. 13.* Nec in hoc est aliqua indecentia, si neque in eo, quod servus fidelis & probus ferret Domino dyfcord; sed potius subiectio ista congruit humilitati Christianæ. Dum autem *Apostolus 1. ad Cor. 6.* reprehendit fideles litem intentantes aliis fidelibus, pud infideles Magistratus, non negat, quin hi sint legitimi judices, sed reprehendit, quod fideles non componerent sua negotia cum pace per arbitros Christianos sine lite seu judicio, non carente periculo peccatorum, præsertim accedente periculo scandali, quod ex eorum discordia natum erat sequi apud infideles.

63. Immo nec privari possunt per Ecclesiam dominio jurisdictionis.

64. Sed neque dominio proprietatis in servos.

Adhuc posset dubitari, an Princeps infidelis possit privari dominio, quod habet in servos fideles, idque per se ob bonum & honorem fidei, adeoque secluso periculo perversionis. Affirmat *D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 10. Bannez, Lorca & alii.* Sed oppositum est tenendum cum *Navarro, Covarruvia, Suarez & aliis* communiter. Ratio est: quia hæc potestas non competit Ecclesiæ ex natura

tura rei: neque etiam ex concessione positiva Christi, quæ nusquam apparet; quin potius ex variis Scripturis colligitur contrarium, ut 1. ad Timoth. 6. Ad Ephes. 6. 1. Petri 2. Ideoque Concilium Gangrense relatum c. Si quis servum 17. q. 4. graviter reprehendit suadentem servo fugam prætextu religionis. Et planè eadem est ratio de dominio jurisdictionis (de quo antè egimus) ac de dominio proprietatis, ideoq; videtur D. Thomas de utroque pariformiter loqui: unde sicut Ecclesia nequit isto, sic neque hoc infideles per se loquendo privare.

65.
Nisi per accidens & quando.

Nihilominus si Infideles sint mancipii ob fidem molesti, eorū minis vel perluasione importunā ad infidelitatem aut peccata pertrahere tentent, possunt mancipia ratione injuriæ & periculi animæ se ab eorum dominio eximere, possentque Ecclesia fugā præcipere, & per se aut alios eorundem defensionem procurare. Similiter existente proximo & morali periculo perversionis, nec suppetente aliā securitatis viā, possent ipsi fideles se subtrahere à jurisdictione infidelium, viā defensionis & cautelæ contra damnum imminens. Idemque possent Ecclesia, cui commissā est potestas continendi sibi subditos in fide & bonis moribus, quæ solum est indirecta in infideles, quatenus scilicet est necessaria ad bonum fidelium. Nec debet expectari perversio, sed sufficiunt minæ aut importuna perluasio: cum tentatio hæc censetur gravis injuria, quam fidelis merito potest fugere, & à qua Ecclesia illum potest custodire.

66.
Infideles in terris Christianorum non possunt assumi ad publicam officinam.

Denique ex prohibitione Ecclesiæ non possunt infideles inter Christianos commorantes præfici publicis officiis, adeoque Princeps Christianus nequit eis in Christianos sibi subjectos conferre jurisdictionem. Id enim expressè inhibetur c. Cum sit nimis, de Judæis & Saracenis; idque ob dignitatem & honorem nostræ fidei, cui ignominiosum erat, assumi infideles velut aptiores, reliquis fidelibus postpositis. Similiter infidelis subiectus Christiano Principi privatur dominio servi, hoc ipso quo ad fidem convertitur, sive sit servus emptitias, sive vernaculus seu servus natus.

Privantur ibidem dominio servi hoc ipso, quo convertitur.

QUÆSTIO VII.

Quæ Communicatio cum Infidelibus sit licita Christianis?

67.
Quæ communicatio cum Infidelibus inhibita jure divino naturali.

CERTUM in primis est, & ex antedictis de Confectione fidei satis constat, jure divino naturali illicitam esse communicationem cum infidelibus in sacris, sive in eorum ritibus & falso cultu. Idemque est de quavis communicatione, etiam politica, ex qua merito timeatur periculum morale subversionis, aut grave scandalum:

cum quilibet teneatur salutem suam consulere, & scandalum evitare. Quod periculum ex diuturniori ac frequentiori familiaritate, cum Judæis præsertim, & obstinatis hæreticis, odio erga fidem Catholicam plenis, timendū, maxime si Catholici simpliciores sint. Unde plerumque ex natura rei illicita sunt cum illis connubia. Cui accedit, quantum ad non baptizatos, præceptum Ecclesiasticum invalidans, quoad hæreticos inhibens hujusmodi connubia, juxta ea quæ traduntur in materia de Impedimentis Matrimonii. Præterea si sint hæretici denūtiati seu neminatim excommunicati, vitanda est communicatio juxta dicta in 2. Parte in materia de Censuris. Jure Ecclesiastico etiam inhibetur juxta Suarez, Coninck & alios, ne infidelis non baptizatus admittatur ad sacrificium missæ, sed tantum ad orationes privatas, Conciones & Missam Catechumenorum, c. Episcopus nullam de Consecrat. d. 1. Qui tamē postea admitti, si inde speraretur fructus, v. g. conversio ipsius aut alterius, ut Coninck advertit. Immo quia communiter fructus speratur, credo (inquit Lugo disp. 22. num. 106.) sæpè Ecclesiæ ministros connivere, nec expellere infideles quando turmis fidelium sese immisceant, ut res nostras sacras observent.

An admittendi ad eorum officia cum fidelibus.

An admittendi ad sacros ritus.

Jure Ecclesiastico specialiter interdicta est aliquibus casibus communicatio cum Judæis c. Judæi, c. Ad hæc, & c. Fin. de Judæis. Primò inhibetur familiaritas cum eis, non quæcumque, sed (ultra præmissam, quæ scandalum aut periculum morale perversionis generat, & jure naturæ inhibetur, & communicationem cum illis in præfectura inter Christianos statuendis, de qua, quæst. prac.) quæ continet Christiani servitium, aut stabilem in famulatu, in domo scilicet Judæorum, subjectionem. Id enim solum colligitur ex c. Ad hæc, & c. Fin. Unde non prohibetur, Judæum haberi à Christiano in servum aut famulum, aut etiam Christianum locare operas Judæo, cujusque mercenarium aut colonum esse.

68.
Interdictum ab Ecclesia Christianis, ne se subiciant servituti aut famulatu Judæorum.

Secundò Christianis inhibitur est ad vocare aut admittere Medicos Judæos vel alios infideles, Paganos scilicet aut Saracenos; ut patet ex Constitut. 68. Gregorii XIII. dicis. Alia pia mem. Quamvis excuset gravis necessitas ab observantia hujus, uti ceterorum Ecclesiæ præceptorum.

Aut illos, aliosve infideles admittendo in merito.

Idem antea quoad Judæos prohibitum erat c. Nullus 28. q. 1. ubi in substantia generaliter statuitur, ne quis Judæorum alyma, ritu scilicet Judaico, comedat, vel ullam cum eis familiaritatem, scilicet periculosa aut scandalosa ineat, vel medicinas ab eis suscipiat, vel unquam eis in balneis lavetur. Sed Canon iste verbotenus ex Synodo Quinisexta seu Trullana (quæ illegitimum fuit Conciliabulum) delumptus est: Estque ibidem ordine undecimus. Quamvis sine hac animadversione simpliciter inter prohibitos va-

69.
Expenduntur in prohibita c. Nullus 28. q. 1.

ros variis Casuistis statuunt omnes casus expressos in dicto Canone.

70. Obstrictus aut nutrices esse nequius in domibus Judæorum. Tertio inhihetur Christianis obstetricibus & nutricibus proles Judæorum in domibus Judæorum nutrire c. Ad hac, de Judæis. Quamvis ibi non sit istis interdictum proles eorum domi sue curandas suscipere, ut pater inspicienti textum; quidquid inde oppositum non rectè Nonnulli colligant. Non militat quoque tunc ratio allegata in Canone, quia videlicet non subiiciuntur tunc Judæorum servitiæ tamquam famulæ.

An interesse queant muris convivia. Quarto c. Omnes 28. q. 1. ex Concilio Agathensi c. 40. inhihetur Judæorum convivio adire, aut eos ad convivium invitare; idque quia discernunt inter cibos mundos & immundos. Quod si non faciant, prohibitio cessat juxta Aporium, Coninck & alios. Atque esto quod non, saltem non est nisi Canon Concilii particularis.

71. An sit prohibitum aliquid loquere Judæo vel Pagano. Quinto solet recenserit inter casus prohibitos, legare aliquid Judæo vel Pagano. ex c. Sanè 24. q. 2. Et c. Si quis Episcopus, de Hæreticis. Sed c. Sanè non est ullo modo ad rem, ut clarum est inspicienti. c. Si quis Episcopus inhihetur Episcopis, ne heredem instituant extraneum, aut hæreticum etiam consanguineum, aut Paganum. Quod extenditur sequenti c. In eos ad alios Clericos, ut scilicet in non Catholicos, etiam consanguineos, nihil conferant. Tamen L. i. Cod. de Judæis decernitur invalidum esse legatum factum universitati seu communitati Judæorum.

Subsidia in præstare qualiter inhihetum. Prædictis addendum sub excommunicatione reservata in Bulla Cœnæ inhihetum esse Christianis præstare arma, vestes, cibos, & alia subsidia Judæis & Paganis, aliisque Christianæ reipublicæ inimicis declaratis. Quod etiam sub excommunicatione prohibuitur erat quoad Saracenos tempore Guerræ c. Ita quorumdam, & c. Quod olim, de Judæis & Saracenis.

72. An Canonos agentes ad Judæos sint extendendi ad omnes Infideles, aut saltem ad Mahumetanos. An autem casus, quibus specialiter inhihetur certa communicatio cum Judæis, sint extendendi ob paritatem rationis ad omnes infideles, controversatur. Aliqui affirmant. Alii negant, contendentes esse specialem in Judæis rationem, ob eorum singulare odium in Christianos. Alii ad solos Mahumetanos (in quibus est par hostilitas contra Christianos, & quorum familiaritas est æquè perniciofa) censent debere extendi. Sed rectius simpliciter negatur: cum nō sit extensio prohibitionis faciendâ, etiam stante paritate rationis ultra verba legum; quæ ferè de solis Judæis agunt, paucis exceptis, v.g. quod in illis ad Saracenos extendatur prohibitio de famulatu, & ad omnes Infideles, seu Paganos prohibitio de non assumendis iis in Medicos, de quæ non præstandis subsidiis contra Christianos.

De reliquo, non est prohibita per se loquendo communicatio seu commercium

cum Judæis aut aliis infidelibus, quibuscumque cōsequenter licet exercere negotiationem, emendo, vendendo &c.

Solum moveri possit difficultas de quarundam rerum indifferentium venditione v.g. agni, aliorumve animalium, florū, materiæ vestimentorum &c. quibus Judæi aut alii infideles sciuntur abuturi ad suos ritus vel superstitiones, et si alioquin per se habeant aliud usum honestum. Sed consentiunt Doctores posse familia iis licitè vendi, dum subest iusta causa, quæ excusat à malitia scandali, & facit, ut actiones indifferentes sint licitæ, et si alii malum finem intendant, ut patet ex generali doctrina de Scandalo.

Major difficultas est, de venditione rerum per se ordinarum ad falsum cultum, nec alium usum ordinarium habentium, v.g. idolorum, vestium pro sacrificio &c. Quas illicitè vendi indefinitè tradunt D. Thomas & alii. Et quidem indubiè requiritur ibi major necessitas, quàm in rebus prioris generis vendendis, ut per se patet. Emptio enim ista in circumstantiis istis, in quibus fit ab infideli, apertè prodit pravam & superstitionis ementis intentionem, cui per se loquendo nefas est cooperari. Varii tamen intelligunt D. Thomam de eo, quod est ordinarium ac per se. Ac proinde Sylvester, Valerius, Tannerus, Coninck, Arriaga & alii existimant in gravissima seu extrema necessitate id fore licitum, necessitate seu periculo abstergente malitiam, ut non censetur hic & nunc cooperatio ad finem malum: cum nimirum sint res indifferentes, quæ ob curiositatem, tragediam, aut similem finem licitè emi possent.

Secus est juxta Coninck disp. 18. dub. 13. n. 213. de consecratione idoli, vestium sacerdotalium, ædificatione idoli pro infidelibus. Sed non consequenter: cum moraliter idem sit quoad punctum cooperationis idolum conficere, & à se aut alio consecutum vendere: nec talis sit magis instrumentum idololatris, quàm erigens in tali necessitate scalas sit instrumentum furis. Itaque talis videtur jure & arte sua, censeturque ob necessitatem se permissivè habere ad alterius malam intentionem.

Nec obstat, quod nonnulli Christiani sculptores elegerint potius mori, quàm idola sculperè. Nam id egerunt, sive quia timebant, ne id esset illicitum: sive quia in odium fidei id exigebatur, aut ita exigi timebatur: sive quia honestissimè appetitur martyrium, ne quidquam fiat, quod quovis modo possit existimari idololatris favore, quantumvis simpliciter licitè fieri posset: sive denique quia tunc plerisque existentibus infidelibus, hujusmodi statuarii seu sculptores per hoc ostendebant se esse gentiles. Quare etiam si hujusmodi consecratio aut etiam venditio in aliquibus circumstantiis

73. An liceat Judæis vendere agnum, Infidelibus animalia, quibus creduntur abuturi.

74. An liceat vendere idola & similia.

75. An idem sit de venditione & de consecratione idoli dicendum.

76. Occurritur objectioni.

cumstantiis esset signum falsi cultus seu infidelitatis, nullatenus liceret; uti non licet adolere thus idolo. Alioquin vendens aut conficiens in necessitate se permittit habere ad alterius peccatum aut securum falsum cultum, non autem ipse peccatum aut falsum cultum operatur. Unde Catholici non videntur facere scrupulum peccati, si in necessitate cogantur synagogam ædificare pro Hæreticis, eâ ad suas hæreses abusuris.

QUÆSTIO VIII.

Qualiter sit Prohibita Lectio Librorum Hæreticorum?

77. Lectio librorum hæreticorum quando illicita iure naturali.

Quam iuste ab Ecclesia sit interdicta.

78. Consonantia versus Ecclesie stylus.

LIBRORUM perverforum, præsertim hæreticorum, lectio, quando ex ea alicui morale perversionis imminet periculum, est indubiè jure divino naturali prohibita. Quod quia frequenter imminet indefinitè loquendo, etiam tunc, quâdo non imminere præsumitur, iustissimè Ecclesia lectiõem librorum præsertim hæreticorum prohibuit. Nam sermo eorum ut cancer serpit, etiam vel maximè scriptis (quæ maturius exarari solent) expressus; adeoque meritò vitandus. Unde per modum justæ cautelæ Ecclesia fideles ab hujusmodi venenosis scriptis avertit. Quod etiam non parum facit ad suppressionem doctrinæ perverfæ. Uti & facit ad poenam ipsorum hæreticorum, quos veluti sibi subiectos Ecclesia sic iustè punire potest.

Neque hæc praxis Ecclesiæ nova est. Nam *Act. 19.* fideles conversi adduxerunt & publicè combusserunt libros vanos & superstitiosos. Et *Jacobus Apostolus* (teste *Abdia Babylonio l. 4. Certaminis Apostolici*) libros Hermogenis, ab iplo converso delatos ad pedes ipsius Apostoli comburendos, iussit appposito pondere in mare demergi, ne forte odor incendii vexet incautos. In *Concilio Nicæno* (teste *Nicephoro l. 8. c. 18.*) libri Arii sunt incendio adjudicati, additaque fuit per Constantinum poena capitis contra occultantes. *Theodosius L. Damnato, Cod. de Hæreticis*, ex præscripto Concilii Ephesini, iussit comburi libros Nestorii. Et *L. Quicumque s. Nulli, & s. Omnes eod. Tit.* prohibentur, & igni adjudicantur libri Eutichetis, ex præscripto Concilii Chalcedonensis. Idem constat ex *Synodo VII. Act. 7.* Ubi etiam *Can. 9.* additur excommunicatio contra legentes libros Hæreticorum. Uti etiam omnia quasi opera antiquorum hæreticorum ita perierunt, ut de illis non nisi fragmenta quædam in Orthodoxorum scriptis reperiantur. Omitto plura, quæ congerit *Basilus Pontius in Appendice*, quæ habetur ad *calcem l. 12. de Matrimonio c. 2. n. 7.* Et *Bellarminus l. 3. de Laicis c. 20.* qui etiam dissolvit varia Hæreticorum argumenta,

quæ in contrarium possent adduci.

Hodie autem conficienda est duplex Ecclesiæ prohibitio. Una est contenta in Bulla Cœnæ, in qua excommunicantur, excommunicatione Papæ reservatâ Hæreticorum libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate Sedis Apostolicæ scienter legentes, retinentes, imprimentes, sive quomodolibet defendentes, ex quavis causa, publicè vel occultè, quovis ingenio vel colore.

Quæ verba concernunt omnes, doctos pariter & indoctos, firmos & in fide fragiles: trem quia sunt generalia: tum quia si solos infirmos seu periculo subiectos comprehenderent, nil fuisset superadditum legi naturali: tum quia quilibet facillè præsumeret de sua sufficientia & fortitudine, cum everfione fructus & finis legis. Hæc itaque ob periculum frequenter natum subesse, omnibus indifferenter lectionem prohibet, nisi adsit debita licentia. Immo prohibitio est tam universalis, ut etiam comprehendat Episcopos, & quovis alios Prælatos.

Quamvis existiment Varii, Inquisitores jure Officii sui posse legere libros hæreticorum ad effectum illos examinandi & corrigendi seu condemnandi. Qui tamen inspicere debent suas commiffiones & facultates, quæ possunt pro varietate temporum & locorum esse variæ.

In locis etiam, ubi non viget Inquisitionis officium, v. g. in Belgio, & de alio modo per S. Sedem non est provifum, v. g. per deputationem doctorum Personarum, quæ cognoscant de hujusmodi librorum lectione, condemnatione, confutatione, expurgatione, prout ordinaverat *Sixtus V. Constit. 74.* cenet *Marchant To. 2. Tract. 2. Tit. 2. sect. 4. q. 3. dub. 1.* Episcopos tamquam ex vi & natura Officii Episcopalis inquisitores, posse illos legere in ordine ad prædictos effectus. Quod attinet revocationem Pontificum generalem licentiarum quibulvis factarum, respondet *Marchant*, Episcopis in talibus circumstantiis prædicta competere, non vi licentiarum, sed de jure. Quod quidem minorem difficultatem haberet, sepositâ Bullâ Cœnæ, & attentis regulis Indicis librorum prohibitorum. Et olim quidem in *Concilio Carthaginensi IV. Can. 16.* statutum erat, ut Episcopus legat libros hæreticorum pro necessitate & tempore. Saltem omnino conveniret, ut in prædictis locis, in quibus jugiter novi Hæreticorum libri prodeunt, Episcopis concederetur talis potestas. Quæ etiam viris doctis ibidem in ordine ad fines similes sæpè necessaria est, & in casu simultaneæ necessitatis, dum non est recurfus ad præditos facultate concedendi licentiam, posset esse locus Epykiæ.

Insuper Gregorius XIII. Bulla exponi nobis anno 1575. dat privilegium Præposito

79. Adferitur prohibitio facta in Bulla Cœnæ.

80. Quæ concernunt etiam doctos ac in fide firmos.

Et in qua vis dignitate Constituitur.

81. Opinio Marchant de Episcopis Belgii.

An Epykia possit esse locus.

82. Quæstio fito

legia Societati suo Regularibus concessa.

sito Generali Societatis consideratè cum delectu & re consultata cum suis Assistentibus concedendj suis religiosis licentiam legendi libros prohibitos ad oppugnandum. Varia item concedit ibidem Religiosis Societatis in ordine ad legendum aut emendandum libros nonnullos sive certæ qualitatis prohibitos, ac in libris suis executioni mandandum ea quæ in Cathalogo & Decreto S. R. & Universalis inquisitionis præcipiuntur, ad effectum, ut illi retineri possint. Confirmatque & quantum opus de novo concedit, supplendo defectus, ea quæ super hujusmodi materiâ à se vel Pio V. concessa fuerant. Concesserat autem vivâ voce Provincialibus Societatis pro regionibus septentrionalibus facultatem dispensandi cum suis circa indicem librorum prohibitorum, immo & cum externis ad eos recurrentibus, cum delectu tamen, idque ad oppugnandum tantum; ut refert Bassani V. Hæresis n. 16. Vide Compendium Societatis V. Libri prohibiti, & Compendium Privilegiorum novissimè collectum ab Augustino à Vrg. Maria V. Libri.

At quia Gregorius XV. ac novissimè Urbanus VIII. licentias legendi libros nimium multiplicatos revocarunt, earum concessionem deinceps ad Congregationem S. Officii reducetes; dubitatur, an Generales Religionum nihilominus possint concedere licentiam suis subditis legendi libros prohibitos; id negante Diana & Lezana, at affirmantè Peyrino, quod hic putet prædictos Pontifices non derogare privilegijs Religionum, sed solum particularibus licentijs, ut refert Bassani sup. n. 17.

83. Ad excommunicationem Bullæ incurramdam requiritur 1. us nationes inhibita fiant scilicet.

84. Secundo, ut libri sint hominum hæreticorum.

Tria porò ex tenore Bullæ ad incurramdam præfatam excommunicationem requiruntur. Primo, ut lectio, aliæque actiones prohibita fiant scilicet. Unde excusatur ignorantia etiam vincibilis & crassa, non tamen juxta Plurimos affectata; quamvis & hanc excusare existimem cum alijs valde probabile, conformiter ad dicta Parte 2. Tract. 3. d. 5. n. 27. eò quod non sit in rigore scientia, quam jus requirit, & versetur in materia poenali.

Secundò requiritur, ut sint libri hominum hæreticorum. Unde vi Bullæ Cœnæ non excommunicantur legentes libros Catholicorum, in quibus refutandi causâ inserti sunt errores Hæreticorum proprijs eorum verbis, etsi id faciant, ut sciantur eorum errores: sicut nec illi qui legunt librum alicujus Catholici, in quo sunt aliqui errores per ignorantiam admixti, aut etiam prava Hæreticorum Scholia: quia ejusmodi non sunt libri Hæreticorum. Limitat tamen hanc ultimam partem Suarez (Alijs contradicentibus) nisi ea Scholia essent tam ampla, ut liber ex eis pro maxima parte constaret: tunc enim ratione horum meritò videtur posse dici liber Hæretici à maxima sui parte. Sicut libri commentan-

tes Scripturam, aut D. Thomam à suis Auctoribus nomen fortiuntur, etsi textum Scripturæ aut D. Thomæ insertum habeant. Sufficit autem esse librum Hæretici formaliter, etsi nondum sit damnatus: quia vox illa Hæreticus etiam tales comprehendit. Non prohibetur tamen illis verbis lectio librorum scriptorum ab Infidelibus non baptizatis: illi enim non solent dici Hæretici.

Tertiò requiritur, ut libri sint hæresim continentés, vel de religione (utique ex professo seu instituto, ut prudenter consideranti patet & exprimitur Regula 2. Indicis librorum prohibitorum) tractantes. Sufficitque juxta Doctores communis alterutrum; eò quod loquatur Bulla sub disjunctione, maneatque sufficiens ratio prohibitionis hujusmodi: quamvis Sayrus, & Jacobus de Grassis apud Bassani V. Hæresis n. 9; (qui tamen oppositum existimat esse verius) putaverint non sufficere, quod liber tractet de religione, nisi simul contineat hæresim. Sufficit præterea juxta Suarez, Sanchez & alios passim, ut liber contineat hæresim vel unicam, attentis verbis Bullæ simpliciter & propriè acceptis: quamquam juxta Sayrum, & Jacobum de Grassis (quos refert & sequitur Bassani sup.) requiratur, ut liber de hæresi tractet ex professo, nec sufficiat, quod de alia retractando obiter interponatur aliqua hæresis: & Arriaga d. 23. sect. 4. n. 22. satis probabile putet requiri, ut saltem aliquas hæreses liber contineat, quasi parum pro nihilo requeretur.

Dubium est, an excommunicatio incurratur à legente Epistolam, Concionem, aliamve brevem Scripturam, etiam impressam, alicujus Hæretici continentem hæresim, aut de religione ex instituto tractantem? Varii affirmant. Possentque Ecclesia id declarare, & sic cessaret quæstio, quæ adhuc obstat. Unde Plures negant. Et inter hos Marchani sup. dub. 2. qui tamen non satis coherenter præmiserat legentes talia Scripta mortaliter peccare: cum seculoso periculo perversionis (quod utique non semper adest,) id provenire deberet ex lege Ecclesiæ, quæ si comprehendat tales casus suâ lege, etiam comprehendet suâ poenâ transgressores simpliciter impositâ. Nec magis sibi cohæret Bassani sup. n. 10: ubi cum negasset legentes prædicta incurrere excommunicationem, subdit certum esse, quod semper peccent mortaliter obpericulum; quasi verò id tam graviter semper urgeret: cum aliàs sanè non suffragaretur quæcumque licentia papalis ad excusandum à mortali. Itaque ut ad quæstionem propositam revertamur, posterior opinio videtur conformis verbis Bullæ in rigore intellectis; quæ agunt de libris prædictæ enim Scripturæ non censentur vulgariter nomine libri, Ideòque Catholici his in locis non faciunt scrupulum legentes episto-

85. Tertio, ut ex professo tractent de religione aut contineant hæresim. An alterutrum sufficiat.

An sufficiat hæresis vel unica.

86. Excommunicationem incurrit à legente Epistolam aut brevem scripturam. Varii affirmant. Plures negant; etsi nonnulli hanc sibi conarant.

Judicium Auctoris.

epistolas huiusmodi familiares, quas interdum ab amicis hæreticis recipiunt. Circa quod tamen Pastoribus quoque & Confessariis vigilandum est. Liber autem etiam manuscriptus censetur nomine libri, & semper ita habitus fuit, ut patet de tempore nondum inventæ typographiæ.

87. An etiam comprehendatur censura, qui legentes audiunt.

Aut lecta recolunt memoria, vel ore repetunt.

Aut materialiter inspicitur.

Aut intelligendo quidem, sed non efformando vocem.

Qui determinanda gravitas materiae.

88. Retinentes libros qui excommunicantur.

Nomine Imprimendum qui intelligantur in Bulla.

Quia verò Bulla loquitur de lectione, quaeritur, an etiam comprehendatur censura, qui solum legentes audiunt? Affirmant Vani. Sed negat Sanchez, Fillineus & plures alii, spectata vi verborum legis, quæ non sunt amplianda etiam ob paritatem rationis, cum in poenalibus versemur: proprie autem talis non censetur legere. Idemque est de eo, qui ex memoria recoleret prius lecta: nam illa recollectio non est lectio, estque ordinariè actus merè internus, de quo Ecclesia non iudicat. Immo si quis memoriter externâ voce repeteret aliqua quæ in libro hæretico legisset, non incurreret censuram, eò quòd non censetur legere librum. Periculum porrò audientis & recolligentis cavendum est ex natura rei, potestque reperiri etiam in eo qui hæreticum publicè vel privatim differentem audit; quod tamen fit sine incurso censura. Aliunde tamen possent incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ infidelitatis fautoribus aut defensoribus Hæreticorum, si tales se ostendant, etsi libros non legant. Non censetur etiam legere librum, qui etsi characteres adspiciat & voces correspondentes formet, eas tamen non intelligit: solum enim est lectio materialis, quam lex aut ratio legis non respicit. Non requiritur tamen, ut ex aspectu scripturæ formetur voces externæ: nam lectio non consistit in prolatione verborum, cum etiam legat oculis percurrendo, qui nihil exprimit, sed solum eâ occasione de rebus per scripturam conspectam significatis interiùs conceptus format.

Difficile autem est determinare quantitatem lectionis ad eam poenam incurrendam requisitæ. Sanchez l. 2. Summa c. 10. n. 31. excusat ratione parvitatis materiae eum qui legerit unam paginam, etsi liber esset in folio. Sed Marchant sup. q. 2. longè aliter discurrit meritò videndus.

Præterea ex verbis Bullæ Cœnæ supra relatis patet, eam censuram incurrere retinentes eiusmodi libros, etsi eos non intelligant, aut numquam legere intendant: quia nihilominus proprie eos retinent, quod in Bulla prohibetur. Excusat tamen Sanchez eos, qui aliquo tempore, etiam notabili, eos bonâ fide retinent, ut datâ opportunitate Inquisitoribus tradant.

Patet insuper ex iisdem verbis Bullæ Cœnæ, ratione impressionis eam censuram incurrere, non solum immediatè laborantes, sed etiam impressorem seu typi magistrum & libri Auctorem, si eum ad imprimendum dederit: hi enim omnes dicuntur

imprimere. Immo eandem incurrit faciens expensas (etsi eum excuset Suarez, alioquin in hac materia strictus) sicut enim communiter dicitur ædificare templum, qui facit sumptus pro ædificando; ita impressisse librum, qui pro eò imprimendo expensas fecit. Plures casus ex citatis verbis Bullæ vide apud Sanchez supra, & Suarez To. 5. in 2. Partem disp. 21.

Altera Ecclesiæ prohibitio emanavit à Pio IV. Sixto V. & Clemente VIII. præcipientibus observari Cathalogum librorum prohibitorum cum præfixis regulis. Qui quidem Cathalogus cum præfixa Bulla Pii IV. ac etiam Bulla Sixti V. specialiter est publicatus in hac Academia Lovaniensi tempore gubernationis Ferdinandi Alvarez de Toledo Ducis Albani. Et iterum iussu Urbani VIII. in Dicecesi Mechliniensi publicata fuit quædam appendix ad dictum Cathalogum anno 1629. Et proinde locum hic non habeat exceptio, quam quidam feruntur in Belgio contra prohibitionem Bullæ Cœnæ prætexere. In quo etiam non posset subsistere, adhuc conclusâ Bullâ Cœnæ, quod Azorio & Layman relatis docet Bassaus V. Hæresis n. 16. Catholicos, ubi hæc Bulla non est recepta, legentes libros Hæreticorum, continententes hæreses vel de religione tractantes, non incidere in excommunicationem, si legerint studio cognoscendi & confutandi eorum errores. Nam excommunicatio apertè infligitur in Bulla Pii IV. & Regula X. Indicis in fine, cujus verba referuntur n. seq. Aliud fortè videri posset, si sermo esset de locis, in quibus non foret etiam prohibitio Indicis recepta; aut solum de libris necdum in Indice ipidem promulgato adscriptis, donec quid certi de iis ab Ordinariis aut Inquisitoribus statutum fuerit, quibus id videtur committi in Indicis regulis seu præambulis ad eandem.

Porro Regulâ I. Indicis confirmantur damnationes librorum factæ per Pontifices & Concilia ante annum 1515. Regulâ II. omnino damnantur, omnes cujunque argumenti libri tam Hæreticarum dicto anno posteriorum, quam qui Hæreticorum capita & duces fuerunt. Aliorum autem Hæreticorum libri, qui de religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur. Qui verò de religione non tractant, à Theologis Catholicis iussu Episcoporum & Inquisitorum examinati & approbati permittuntur. Regulâ VII. Prohibentur etiam libri qui res lascivas aut obscenas ex professo tractant. Antiqui verò ab Ethnicis conscripti propter sermonis elegantiam & proprietatem permittuntur, nullâ tamen ratione pueris prælegendi. Regulâ IX. Prohibentur libri omnes & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Chiromantiæ & similes. His accedunt libri Astrologiæ iudiciariæ: quibus Clemens VIII. addidit im-

89. Adferitur altera Prohibitio Indicis librorum prohibitorum.

90. Quid potissimum in Regulis Indicis continetur.

Qu. VIII. Qualiter sit prohibita lectio Librorū hereticorum. 185

Excommunicatio non reservata quibus incurratur.

A quibus incurratur sola culpa mortalitatis.

91. An libri prohibiti donec expurgentur licite possint retineri.

92. Controversiarum linguarum vulgarium editio in Belgio non affirmatur interdicta.

93. Parte qua librationes propositionum inibi haberi solent cum libris eas continentibus.

pios Hebræorum libros Thalmudicos, & Cabalisticos. Demum (omissis aliis Regulis) in fine concluditur: *Quod si quis libros Hereticorum, vel cuiusvis auctoris scripta ob hæresim vel falsi dogmatis suspitione damnata atque prohibita legerit, sive habuerit, statim, seu (ut loquitur Pius IV.) ipso iure in excommunicationis, non tamē reservatæ Pontifici, sententiæ incurrat. Qui verò libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit, præter peccati mortalis reatum quo afficitur, iudicio Episcopii severe puniatur.*

Existimat autem *Marchant sup. du. 5.* quod si libri non sint absolute prohibiti, sed cum clausula, *donec expurgentur* retineri possint, modo non legantur, donec à personis ad hoc constitutis correcti sint, & legitimam censuram emendati. Hujus tamen exceptionis non apparet satis solidum fundamentum inspicienti verba mox præmissa, quæ comprehendunt libros quotquot & quovis nomine sint interdicti, & generatim vetant illos haberi seu retineri. Nec prohibitio facta cum clausula, *donec expurgentur*, definit idcirco esse prohibitio absoluta, pro tempore scilicet, quo expurgatio necdum facta est. Unde etiam simpliciter tales libri nomine prohibitorum veniunt intelligendi. Et ratio, ob quam prohibetur lectio, etiam militat in retentione in his, uti in aliis libris prohibitis. Consuetudo tamen potuisset in aliquibus locis (prout de Belgio Nonnulli viri docti existimasse referuntur) rigorem hunc temperasse quoad publicam in bibliothecis expositionem, aut liberiores etiam lectionem: quod facti est.

Notandum verò Regulam VI. Indicis, quæ statuit de controversiis vulgari sermone editis idem, quod de bibliis linguarum vulgarium impressis, non esse usu receptam in Belgio, ubi jugiter hujusmodi libelli eduntur, omniumque manibus teruntur, immo legi consulantur, ut in promptu habeantur fundamenta fidei nostræ contra quotidianos occurus Hereticorum. Alioquin Pius V. (teste *Basso V. Hæresis nu. 16.*) die 8. Januarii. 1571. viva voce concesserat (quod Gregorius XIII. Bulla *expdmi nobis* confirmavit) confessariis secularium Societatis Jesu, ut suis pœnitentibus permittere possint usum Bibliorum Vulgarium, & librorum de controversiis vulgari idiomate per Catholicos conscriptorum. Similiter his in locis non sunt in usu nonnulla ex iis, quæ in instructione recentius adjecta Regulis Indicis quoad impressionem librorum continentur, ut ad oculum patet.

Instructio quoque circa librorum correctionem merito videnda, §. 2. recitat ea, quæ indigent expurgatione, adoque causas prohibitionis, & ante omnia ponit, *propositiones hæreticas, erroneas, hæresim sapientes, scandalosas, piarum aurium offensivas, temerarias, schismaticas, seditiosas, blasphemias.* Quæ sunt ferè censuræ, quas propositioni-

bus damnatis etiam Sedes Apostolica consuevit inurere, ut patet ex Bulla Leonis X. contra Lutherum, Bulla Pii V. contra Baium, & aliis.

Singulas porrò Doctores varii fatis fusè discutunt ac explicant, sed non omnes univèrsim inter se concordant. Breviter dici potest cum receptiori opinionè, hæreticas quidem censerì (quod certum est) quarum contradictoria sunt de fide: Erroneas verò, quarum contradictoria non sunt quidem immediate revelatæ, attamen sunt conclusio Theologica, puta evidenter deducta ex præmissa saltem unâ de fide & alterâ evidèti. Hæresi & Errori proxime censentur, quæ à plerisque cum gravi fundamento habentur pro hæreticis aut erroneis, adeoque quarum oppositæ à plerisque cum simili fundamento censentur esse de fide aut conclusio Theologica respectivè.

Propositiones hæresim sapere vel olerè dicuntur, quæ præbent iudicium saltè probabile judicandi, quòd in proferente seu auctore lateat hæresis: uti suspectæ censentur, quæ saltem præbent indicium ad non temere suspicandum seu timendum, quòd auctor sit hæreticus. Alii hæresim sapientem propositionem vocant, ex qua potest hæresis deduci per probabiles & moraliter certas consequentias.

Malè sonans tantum propositio peccat in abusu vocum diversarum ab usu communi, quo solent à fidelibus usurpari; seu (ut Alii dicunt) est propositio, quæ paritur duplicem sensum, hæreticum & catholicum, sed frequentius accipitur in sensu hæretico.

Piarum aurium offensiva dicitur, quæ proferitur aliquid indecens, aut modo indecenti in materia pietatis seu religionis: esto à parte rei non videatur falsum, v.g. si quis cum sufficienti fundamento putans expungendam è Breviario aliquam historiam ejulve circumstantiam tamquam minus veram, diceret: Ecclesia nobis fabulas & apocrypha narrat; vel si de Indulgentiis, quas sciret causâ sufficienti careas, diceret, esse ridiculas, & solis pueris proponendas; vel quòd vix sine blasphemia proferatur) postularet preces Magdalenæ meretricis, Petri perjuri &c.

Propositio scandalosa est, quæ ex sua ratione alicui offendiculum in fidei aut morum materia subministrat, v.g. avocando auditores ab exercitio virtutum. Quales sunt propositiones, quibus detrahitur Statui religio, exaggeratur pericula priorum exercitiorum, detrahitur fides veritati Reliquiarum, erga quas est singularis devotio populi.

Temeraria, quæ contra cõmunem Scholasticorum sententiam, sine solido fundamento aliquid novi asserit; si autem est alicujus momenti fundamentum, non meretur censuram. Aliqui etiam dicunt esse temerariam, quæ eth non dicat aliquid positive contrarium omnibus Scholasticis, asserit

94. Quid propositio hæretica.

Quid erronea.

Quid Hæresi aut Errori proxima.

Quid hæresim sapientem aut de ea suspectam.

95. Quid malè sonans.

Quid piarum aurium offensiva.

Quid scandalosa.

96. Quid temeraria.

tamen de novo aliquid sine urgenti fundamento in materia Catholica, quod à prioribus non est assertum, quæ dici possent temeraria privativè.

Quid schismatica. Propositio schismatica dicitur, quæ sine hæresi promovet schisma, vel illud generare aut ad idem inducere potest.

Quid seditiosa. Seditiosa videtur, quæ ad seditionem contra Principes vel ad tumultus in republica excitandos conducere potest. Hæc tamen propositio nisi aliunde opponatur doctrinæ fidei aut communi Theologorum, ex tali qualitate non videtur habere censuram propriè Theologicam; etsi alioquin ab Ecclesia ejusmodi propositio merito prohibeatur.

97. Quid blasphemus. Blæphema denique propositio dicitur, quæ injuriam & irreverentiam contra Deum vel Sanctos continet; quæ si pariter involvat errorem contra fidem, simul erit hæretica & blasphemus. Qualitates enim seu censuræ propositio præmissæ possunt, nonnullæ saltem, in unam eandemque propositionem convenire, v. g. quod sit erronea, scandalosa, piarum aurium offensiva. Nonnulli etiam singulis exempla assignant, quæ tamen non omnia satis congruunt. Nam hæc, *Scutum & inutile est Sacramentum Eucharistia solemnè pompâ per plateas deferre,* quæ à Variis refertur ad Sapientes hæreticis, est manifestè hæretica, & contraria *Tridentino sess. 13. c. 5. & can. 6.*

98. In certis raris propositioibus Theologicis Pontifex est infallibilis. Quomodo autem in qualificatione propositionum etiam non hæreticarum Papa sit infallibilis, utpote cui submittere se debent omnes fideles, uti in declaratione contræctuum an sint liciti, ac in decretis morum; bene tractat *Lugo disp. 20. sect. 3. nu. 109. & seqq.* asseritque oppositum esse erroneum vel errori proximum. Immo *Malderus* pertinaciter hoc affirmantem, esse hæreticum censet *q. 11. art. 2. membro 5.*

QUESTIO IX.

De Pœnis Infidelium signanter Hæreticorum.

99. Non baptizati pœnis Ecclesiasticis non subjacent. IUDÆOS & Paganos non posse ob infidelitatem suam propriè puniri ab Ecclesia certum est. Idemque est de Hæreticis necdum baptizatis, quales sunt multi Anabaptistæ, & varii olim legitimum baptismum non adhibentes. Ratio est: quia non sunt sub jurisdictione Ecclesiæ, ut apertè supponit *Tridentinum sess. 14. cap. 2.* Soli igitur infideles baptizati subjacent pœnis Ecclesiasticis, sive sint hæretici, sive apostatæ, id est, post baptismum transeuntes ad Judæos vel Paganos. Hi enim soli sunt Ecclesiæ subiecti. Et specialiter apostatas incurere omnes pœnas hæreticorum, statuitur *c. Contra Christianos, de Hæreticis in 6. & in Bulla cœnæ.*

Ut porrò pœnæ humanæ incursantur, requiritur hæresis vel apostasia aliquo modo externa: de merè internis namque ne Ecclesia quidem judicat, sive per sententiam ab homine, sive per pœnas à lege latis. Non etiam sufficit hæresis aut apostasia merè externa, quæ v. g. quis simulat metu mortis, aut alterius incommodi, vel spe commodi: nam etsi talis simulatio punibilis sit, reverà tamen non constituit propriè hæreticum, nisi error sit conformis in mente; adeoque non subjacet pœnis hæreticorum simpliciter latis, utpote restringendis, quantum fas est. Pœni in foro externo talis præsumeretur hæreticus aut apostata, & tamquam talis puniretur. Pœnas tamen incurunt hæretici aut apostatæ quantumvis occulti, eas nempe, quæ sententiam judicis non requirunt, v. g. excommunicationem. Quæ autem sententiam exigunt, eo usque non incuruntur ab his cum effectu; etsi sint alioquin iis obnoxii, earumque rei. Quænam vel sententiam, sive condemnatoriam ad pœnam, sive tenore legum, juxta regulas in materia de legibus assignatas, est colligendum.

Nunc itaque in speciali de Hæreticorum pœnis agendum restat. Et hæc quidem aliæ sunt spirituales, aliæ temporales, aliæ corporales. Prima pœna spiritualis est Excommunicatio latæ sententiæ *c. Ad abolendam, de Hæreticis,* estque reservata Pontifici in Bulla Cœnæ. Quamvis alibi non reperitur in jure communi hæc reservatio. Nec constituit hæc censura hæreticum vitandum, quousque denunciatus sit. Secunda pœna est Irregularitas juxta communem sententiam. De qua in materia de Irregularitate Tertia est pœna infamiæ, quæ hæreticum ipso jure, tum Civili, tum Ecclesiastico comitatur, suppositâ saltem criminis notoritate. Quarta est inhabilitas ad beneficium & officium publicum *c. Quicumque 8. Hæretici, de Hæreticis in 6.* de quo vide dicta de Irregularitate §. 4. Quinta est privatio Ecclesiasticæ sepulturæ *c. Quicumque cit. De quo vide dicta q. 2. de Excommunicatione §. 9.* Sexta est privatio omnis spiritualis jurisdictionis *c. Auctorimus, c. Apertè, c. Miramur 24. q. 1.* Quod tamen non est intelligendum de hæreticis occultis, qui adhuc suo modo sunt in Ecclesia in ordine ad effectus hujusmodi jurisdictionis præstandos. Idemque est de manifestis non denunciatis post Cœcilium Constantinense, ut DD. passim advertunt; qui soli denunciati sint vitandi extra casum extremæ necessitatis: etsi Nonnulli contradicant. Ratio est: quia excommunicatio (cui annexa est privatio jurisdictionis spiritualis) incurritur ab hæreticis jure Ecclesiastico, quæ proinde olim erat ferendæ sententiæ; & adhuc in extrema necessitate relinquatur ab Ecclesia post denuntiationem jurisdictionis ad abolendum; quamvis autem etiam non denunciati sint ex parte sua pri-

100. Requiritur, ut peccatum sit externum. Non sufficit tamen modè externum.

Sufficit occultum.

101. Pœna spiritualis Hæreticorum. 1. Excommunicatio.

2. Irregularitas. 3. Infamia.

4. Inhabilitas ad beneficium & officium.

5. Privatio Ecclesiasticæ sepulturæ. 6. Privatio jurisdictionis spiritualis.

An vel quælibet locum habeat in non denunciatis.

v. g.

Quaest. IX. De Poenis Infidelium signanter Hæreticorum. 187

vati, Ecclesia tamen pro bono innocentium hos tolerat, ut invitati ab innocentibus præstare possint, quæ antea.

Septima est privatio beneficiorum & aliorum officiorum rite obtentorum. De quo vide *Castro Palao disp. 4. pu. 5.*

Inter poenas temporales potissima est confiscatio omnium bonorum ipso facto incurrenda c. cum secundum leges, de Hæreticis in 6. Immo & privatio omnis jurisdictionis temporalis, & tituli quoque regni c. Absolutus, de Hæreticis, ubi Gregorius IX. absolvit subditos à debito fidelitatis, qui lapsis manifestè in hæresim aliàs generantur adstricti. Quibus accedit incapacitas testandi, successione seu hæreditatis, item exemptio filiorum à patria potestate, de quibus *Castro Palao disp. 5. punc. 26.* posteaquam totâ disputatione de pœna confiscationis sufficimè egerat.

Pœnæ corporales, quæ hæreticis imponi possunt, sunt pœna carceris, fustigationis, exilii, triremis, denique supplicium mortis, quod quidem imponi possit omnibus Hæreticis, de facto tamen imponitur solum impenitentibus, saltem fictione juris, relapsis, & in quibusdam aliis casibus. De quibus *Castro Palao disp. 6. pu. 2.* & alii. De modo quoque judicialiter procedendi in causis fidei fusè tractat idem *Castro Palao disp. 8.* & alii Auctores passim scribentes in locis, ubi videt officium Inquisitionis; quod quia his in locis non viget, consultò tractationem istius rei præmittimus.

Quænam Principes Belgii contra Hæreticos statuerint, vide in *Codice Belgico V. Ketters*, & apud *Asperum in Analysi juris Pontif. lib. 5. Tit. de Hæreticis*, & maximè in *Notitia juris Belgici l. 1. Tit. de summa Trinitate & Fide Catholica l. 9. Tit. de Hæreticis*, ubi in fine subdit: Hæresis crimen naturæ Ecclesiasticæ cognitionis est: Sed moribus nostris & ex Concordatis Brabantia illius vindictam etiam sæcularia tribunaia persequuntur ex Constitutionibus Principum in Hæreticos laici. Sed quarum poenæ hodiè non ita frequentantur. Ità ille.

Solum ostendendum nobis restat, quo modo crimè hæresis justè puniri possit supplicio corporali, etiam mortis. Quod quidem sibi metuentes negarunt olim *Donatistæ*, & postmodum *Joannes Hus, Lutherus* cum suis, ac improbant etiam Nonnulli *Calvinistæ*, difformes in hoc menti *Calvini*, qui *Michaëli Serveto* vivi comburium hoc titulo struxit: quo etiam *Valentinum Gentilem* hæresis convincente, Senatus Genevensis judicavit eum fuisse meritum mortem, à qua tamen simulatâ poenitentia fuit tunc liberatus: sed hanc eidem postea *Magistratus Bernensis* inflixit, teste *Benedicto Aretio* ministro Bernensi in *Historia de justo supplicio Valentini Gentilis*, ut refert *Spondanus ad annum 1561. n. 34.* *Herincx Sum. Theol. Pars III.*

Justè itaque & rectè hæreticos posse mortis supplicio puniri, habetur tamquam de fide certum, inquit *Viggers q. 11. a. 3. n. 16.* Oppositivè articuli *Joannis Hus & Lutheri* sunt damnati respectivè à *Concilio Constantensi* (in quo idem *Hus* cum *Hieronymo Pragensi* fuit traditus brachio sæculari, dein conbustus) *sess. 15.* Et *Leone X.* Bullâ contra *Lutherum* Idem sancivit Ecclesia c. ad Abolendam, c. Excommunicamus (quod est delictum ex *Concilio Lateranensi* sub *Innocentio III.* de Hæreticis c. Super eo eod. Tit. in 6. Quod etiam Imperatores Christiani suis legibus firmarunt *L. Quicumque Cod. de Hæreticis*, ubi id de iis, qui illicita seu prava alios docere tentaverint, sancitur. Similiter *Michaël Imperator* apud *Paulum Diaconum l. 24.* capitalem poenam in Hæreticos constituit.

Quarum quidem Constitutionum justitia variè probari potest. Nam in primis in veteri Testamento, non solum decernebatur interfectio Pseudoprophetarum populæ ad cultum falsorum Deorum sollicitantium, *Deuteron. 13.* Sed etiam illorum, qui cultu unius Dei retento, aliter in religionem peccabant, loquentes in nomine Dei, quæ eis Deus non præceperat, *Deuteron. 18.* Prout etiam *Deuteron. 17.* jubetur interfici, qui ob superbiam, summi Sacerdotis imperio noluerit obedire. Exempla quoque sumpti supplicii de Idololatriis, seductoriis, & inobedientibus, vide *Exodi 32. Josue 22. 3. Reg. 18. 4. Reg. 10.* Quis ergo non judicet æquissimas & divinis eloquiis consentaneas leges, quibus homines corruptissimi & alios corruptentes, veritati, & summo sacerdoti Vicario Christi semper refractarii, ejusque contemptores, decernuntur è medio tollendi? Itaque hæc decreta & facta antiquorum, typum gesserunt securitæ aliquando in Ecclesia severitatis contra depravatores ac desertores doctrinæ Christianæ.

His adde, quod Hæretici in Scriptura dicantur fures & latrones, qui veniunt, ut occidant & mactent. Item lupi rapaces, non parentes gregi *Joan. 10. & Matth. 7.* Item *2. ad Timoth. 2.* hæresis comparatur cancer, qui totum corpus inficit, nisi maturè excindatur ferro: ergo Principes prudenter exterminant Hæreticos.

Eandem severitatem esse justam etiam docent Patres. Nam *Optatus l. 3. contra Parmenianum*, laudat factum *Masharii* præfati, quod aliquot *Donatistas* necasset, comparans illud factò *Moyfi, Phinees, & Eliaë*, qui idololatrias & desertores legis occiderunt. *Augustinus 2. Retract. 5. & Epist. 48.* ex proposito retractat, quod aliquando senferat, non esse vi externâ poenarum vgendos hæreticos ad fidem, & è contrâ probat id esse utilissimum; etsi non videatur consuluisse supplicium mortis, nondum existente de hoc lege imperatoriâ, quâ paulò post mor-

Septima privatio beneficiorum & officiorum.

102. Poenæ temporales sunt confiscatio bonorum, privatio jurisdictionis temporalis &c.

103. Poenæ corporales vana, etiam mortis.

104. Notanda pro Belgio.

105. Quam justè imponantur vana Hæreticis.

Non tamen Calvinus.

106. Justè mortis supplicio puniri, habetur tamquam de fide certum, inquit Viggers q. 11. a. 3. n. 16. est doctrina Catholica.

Legibus Imperatorum.

107. Idem colligitur ex divinis Testamenti ordinatione.

Et locutionibus Scripturae novi Testamenti.

108. Item ex Patribus.

tem Marcianus & Valentinianus sanciverunt *L. Quicumque Cod. de Hereticis.* Alioquin eos censuit istos supplicio dignos, ut pater *lib. 2. contra Litteras Petiliani c. 86. Tract. 11. in Joannem,* & alibi. Plura Patrum testimonia videri possunt apud alios.

Unde hoc supplicium est in probata Ecclesie praxi positum; etiam diu ante tempora *Lutheri* (quidquid ipse impudenter mentatur) tum tempore Concilii Constantiensis circa Joannem Hus, & Hieronymum Pragensem (quos ineptè contemdit non fuisse hereticos) tum tempore Innocentii III. quo simul fuerunt exusti 180. Albigenes (ut refert *Bellarminus lib. 3. de Laicis c. 22.*) & *S. Bernardus*, ut ipse testatur *Serm. 66. in Cant.* Et Alexii Comneni Imperatoris, qui re considerata, omnibusque magistratibus, tam civilibus, quam Ecclesiasticis convocatis, sententiam tulit, ut igne combureretur Basilius auctor heresis Bogomilorum, ut refert *Euthymus in Panoplia Paris 2. Tit. 23. §. 52.* Et *S. Oprati*, cujus testimonium præsertimus. Denique Maximii Imperatoris, qui est Tyrannus, nõ egit tamen tyrannicè, occidendo Priscillianum heresiarcham cum sociis, ut refert *Hieronymus l. de Scrip. Ecclesiasticis,* & approbat *Epist. ad Crespionem c. 2.* Ad quod factum etiam videtur respicere *Leo Papa Epist. 93. ad Turribium,* & ipsum approbans.

II. Id ipsum probatur ratione: quia falsarii monetæ omnium iudicio merentur mortem; quid ni ergo falsarii religionis & verbi Dei? Deinde hæresis est gravissimum crimen, reipublicæ Christianæ maximè nocivum, ex cujus punitione redundat plurimum boni. Confirmatur: quia heretici nocent magis proximo, quàm latrones, occidendo animam, immo tollendo fundamentum omnis boni: reipublicam insuper tumultibus replent: impunitas quoque eorum, sicut facit multos torpentes, sic supplicia excitant ad considerationem gravitatis criminis, ejusque fugam & terrorem. Ipsi denique obstinatis beneficium est, quod è vita collantur, priusquam plures pervegant, ac errores suos multiplicent, cum summo damnationis incremento.

III. Accedit, quod tentatis successivè minoribus remediis, experientia ostenderit, efficaciorẽ non esse viam, quàm obstinatos tempestivè mittere in locum suum. Quod si cum *Luthero* & similibus pestibus actum fuisset; non ededò gemeret Ecclesia, ulque modo cernens *uzania* hæresum recentiorum cum incredibili Ecclesie & animarum damno adeo exerevisse, & caput extulisse. Ut *Hieronymus* in illud *ad Galat. 5. Modicum fermentum totam massam corrumpit,* merito dixerit: *Scintilla statim ut appa-*

ruerit, extinguenda est. Arius (adde, Lutherus, Calvinus &c.) una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est.

Nec obstat, quod Christus *Matth. 18.* solum caverit, ut heretici haberentur, sicut Ethnicis & Publicanis, Apostolus quoque *ad Titum 3.* solum iusserit semel aut bis monitos vitari; ac in initio Ecclesie non fuerint occisi, sed tantum excommunicati. Nam Christus docet, quid agendum cuilibet particulari Christiano; & Apostolus instruit Episcopum, cujus est devitare & devitandos hereticos declarare, non acquiescentes correptioni: non negat autem, quin exigente id bono communi, possint per Principes & Magistratus, prævio Ecclesie iudicio, occidi. Ecclesia quoque in principio sub Ethnicis Principibus oppressa congruè non poterat hoc remedium adhibere. Deinde ipsa pro sua mansuetudine pedetentim mitiora juxta humanam apprehensionem probavit; v.g. excommunicationem, dein multas pecuniarias, exilia, tandem coacta ultimum adhibere remedium, dum cerneret id esse efficacius tollendis malis & incommodis. Quamvis ipsi gladium non eximat per se; sed per sæcularem potestatem; cui post causæ discussionem hereticum tradit puniendum, prævia, si clericus seu sacerdos sit, depositione seu degradatione.

Non obstat etiam illud *Chryostomi hom. 47. in Matth. Non prohibet Christus Concilium hæreticorum dissipare, ora obstruere, libertatem loquendi concedere: Veram interficere & trucidare.* Ubi alludit ad illud Christi *Matth. 13. Sinite utraq;* (scilicet triticum & *uzania*) crescere usque ad messem. Nam etsi doctrina opposita, tunc in Ecclesia nondum satis eliquidata, tradidisset (ut putant Nonnulli) id ejus hodiernæ certitudini minime obstare posse constat. Quamvis alii putent eum loqui ad sensum parabolæ (quæ tamen ad litteram non agit de hereticis, sed universim de malis) quod scilicet non sint interficiendi, cum periculo radiandi triticum, quando videlicet periculum est, ne plectantur innocentes, dum nocentes non sunt facti poti; sive potius, ne hi ob potentiam suam, suorumque fautorum, opprimant Catholicos, plulque mali oriatur; tunc enim à rigore quiescendum est; ut monet *Augustinus 1. 3. contra Epist. Parmeniani c. 3.* Aliæ objectiones vide apud *Bellarminum. l. 3. de Laicis c. 22.*

Restat hic tractatio de Blasphemia, quædam hæreticis est, opponitur fidei. De ea amen commodius in *Cæteria de Religione* agetur.

109. Ex antiqua in Ecclesia praxi.

110. Idem probatur ex ratione.

111. Et experientia.

112. Dissimulatio in Luthero adhibita quàm perniciofa Ecclesie fuerit.

113. Notabile dictum Hieronymi.

112. Occurrit objectioni. bus in Scriptura pei-

Cur ab initio Ecclesia non fuerit hereticis morte puni-

113. Auctoritas Chryostomi innixa verbo Christi Matth. 13. dicens.